CHRISTIANI LUDOVICI
MOEGLINGII, D.
MED. PROF. EXTR. PHYSICI ORD. ACA. LUG.
& BON. MEMBRI.

TENTAMINA SEMIOTICÆ EXHIBENTIA METHODUM

I.
COGNOSCENDI MORBOS IN GENERE,

II.
CAUTE DIJUDICANDI URINAS IN MORBIS,

ET III.
CRISES.

Pars I.

TUBINGÆ,
Literis BAUHOFII atque FRANCKII, 1747.

PER-ILLUSTRIBUS
AC
GENEROSISSIMIS,
SERENISSIMI atque *POTENTISSIMI*
DOMINI
DUCIS WIRTEMBERGIÆ
ET TECCIÆ
MINISTRIS STATUS INTIMIS;
VIRIS
STEMMATIS, NOMINIS, MERITORUM-
QUE GLORIA FULGENTISSIMIS
DOMINO
HENRICO RHEINHARDO
LIBERO BARONI
DE ROEDER
DE SCHWENDE,
BURGGRAVIO; SUPREM. EQ. PRÆF.
HÆREDITARIO. RELIQUA.

DOMINO
JOH. EBERHARDO
FRIDERICO
LIBERO BARONI
DE WALLBRUNN,
AD COMITIA IMPERII LEGATO SPLEN
DIDISSIMO. RELIQUA.

DOMINO
FRIDERICO AUGUSTO
LIBERO BARONI
DE HARTENBERG,
RERUM CAMERALIUM PRÆSIDI
RELIQUA.

DOMINO
FERDIN. RHEINHARDO
LIBERO BARONI
DE WALLBRUNN,
SUPREM. AUL. DUC. MARESCHALLO. RELIQUA.

NEC NON

VIRIS ILLUSTRIBUS atque EXCELLENTISSIMIS

DOMINO

GEORG. BERNHARDO BILFINGERO,

DUCALIS CONSISTORII PRÆSIDI. RELIQUA.

DOMINO

PHILIP. EBERHARDO ZECHIO,

AD COMITIA STATUUM CIRCULI SUEVICI LEGATO.

DOMINO

JOHAN. EBERHARDO GEORGI,

RATIONUM PUBLICARUM ET RERUM MINERALIUM PRÆSIDI.

DOMINO
CHRISTOPH. HENRICO
KORNIO,
CONSILII ECCLESIASTICI REDITUUM
DIRECTORI.

REIPUBLICÆ LYCURGIS,
MUSARUM MÆCENATIBUS,
DOMINIS SUIS PERQUAM
GRATIOSIS,
SPECIMEN HOCCE LUCUBRATIONUM IN TESSERAM PIETATIS
SUBMISSIMO AFFECTU OFFERT

Devotiſſimus Cultor
CHR. LUD. MOEGLING.

PROOEMIUM.

DIctum illud notiſſimum: Omnia probanda, & bonum tantum modo retinendum eſſe, ad Semioticam quoque optimo maximo jure applicari poſſe firmiſſime perſuaſi ſumus: Igitur dum præſentia hæc Semioticæ Tentamina in lucem publicam prodire patimur, monendum hac vice haud abs re ducimus, nos potius rerum fundamenta, quam lepores, & lumina ſequi, nec delectare velle, nec oratorem, ſed Medicum agere nobis propoſuiſſe. Mentem igitur à ſtudio partium remotam, & ſuperiorem, inſimulque attentam nobis expetimus: Cumque hic demum ultimus & ſummus ſcopus ſit, ut ingenia formentur, tyrones ad lectum ægrotorum invitentur, & ad praxin ſolidam ſenſim ſenſimque præparentur; ſatis feciſſe nobis putamus, ſi vel noſtrum, vel tyronum exercitaverimus ingenia. Cæterum plura & in poſterum cum publico, annuente Deo, communciabimus.

De Methodo cognoſcendi morbos in genere.

Diagnoſin & Prognoſin morborum ſolidam Medicum ab ignaro Medicaſtro diſtinguere, extra omnem dubii aleam poſitum eſt; Equidem genuini Medici nomen is mereri non videtur, qui vix audito morbo, vel non penitus inſpecta natura & conſtitutione ægri, vel morbi indole, incremento, progreſſu, cauſis, Phœnomenis, aliisque neceſſariis ad præſcribenda properat remedia. Is autem bene demum curat, qui benè cognoſcit. Quantum vero requiratur ad genium morbi intimius explorandum, omnes ii demum ſciunt, qui diu jam in ea deſudarunt doctrina: Hunc equidem in finem ſigna omnia, ſive illa Pathognomonica & Eſſentialia ſint, ſive accidentalia, æque ac Symptomata ſolicite, non diviſim ſolum, ſed & conjunctim Medici obſervare debent. Signa itaque generalia diagnoſtica dicuntur ea, quæ morbi præſentis cauſam, Symptomata, & locum affectum manifeſtant, eundemque ab aliis diſcernunt; Prognoſtica vero ſunt illa ſigna, quæ futurorum notitiam adferunt, ex quibus in omni morbo certum fere præſagium de eventu formari poteſt. Cognoſcitur autem morbus ex læſione functionis ad vitam & ſanitatem requiſitæ. Medicus igitur accuratam talem morbi cognitionem duplici acquirit modo, primo quidem ex relatione de morbo facta, ſecundo ex ipſa viſitatione & inſpectione ægroti. Priorem Medici frequenter incertam declarant, ob relationem à rudibus hominibus factam; Hanc vero non ſolum frequenter, ſed omni tempore, juxta ακρίβειαν Medicam declaramus incertam: Equidem ſigna & ſymptomata, quæ in ſenſus incurrunt, miſere ut plurimum confundunt, vel in relatione plane neceſſa-

ria

ria omittunt. Dum enim tales dantur morbi, qui valde inter ſe conveniunt, & adeo ſimilibus incedunt ſymptomatibus, ut differentia eorum ſpecialis æque ac indoles genuina ab arte peritis, iisque ſubacto judicio præditis vix attendi poſſit, ſatis ſuperque patet de ſtatu morbi tales nullo modo exactam relationem ſubminiſtrare poſſe. Tutior autem eſt poſterior modus acquirendi cognitionem accuratam morbi per ipſam viſitationem & inſpectionem ægroti. Neceſſaria equidem hæc adplicatio ad lectum eſt, ut Medicus juxta Hippocratis effatum, quid factum fuerit, quidve præceſſerit, eruere, præſens agnoſcere, futurum prædicere queat; Medici exinde oritur officium, ex ratione prævidere effectum, effectum vero per experientiam obſervare, atque tandem inde cauſam confirmare. Talia itaque media ad propoſitum finem aſſequendum ſolicitè erui debent, per quæ ſigna Medico innoteſcunt, ſunt vero quintuplicia. 1.) Viſus: Optime nimirum viſus diſtinguit non ſolum habitum totius corporis, & cutis colorem, ſed & ſpecialiſſime ſudoris, urinæ, ſputi, muci, alvi excrementorum colorem & conſiſtentiam, imo diverſa alia quæ vel morbi ſolutionem, vel funeſtum illius exitum prædicere queunt. 2.) Auditus; Hoc quippe medio cauſas, ab ægris relatas, imo querelas percipit, dolorum pariter ſedem & indolem, an fixus? an vagus? an terebrans? an gravis? an lacerans? an lenis, lentus, ſubitus, obtuſus, parvus, magnus, mediocris, multus, nimius, palpitans, oſſifragus, pertinax, profundus, pulſans, ſtrangulans, urens &c. An porro animi adſit quies? An vero perturbatio? An ſpes? an deſperatio? 3.) Guſtus; Duplex quippe officium linguæ eſt. 1. guſtus; Lingua enim hoc vel illud explorare poteſt. 2. loquela; Hac nimirum in ſtatum morbi ſolicitè inquirit Medicus. An v. gr. appetat æger? nec ne? Quænam

ſentiat & ſenſerit incommoda durante morbo ? Et quamdiu ? An ſint tolerabilia ? An intolerabilia ? An cauſas allegare poſſit? & quasnam præciſe ? 4.) Olfactus; Dignoſcit ſudorem & tranſpirationem olfactus ; An boni vel mali quid importent ? nec ne ? 5.) Tactus ; Multiplices pulſuum differentias, mutationes ataxias patefacit: Judicat non minus de humido, ſicco, frigido & calido ; de ſitu partium præternaturali, de duritie, & lævitate. Dum igitur Medicus ægrotum viſitat, interrogare incipit, aut ægrum ipſum, (ſiquidem ob morbi conditionem reſpondere poterit) aut adſtantes, quo modo malum, de quo queritur æger, ſeſe declaret ? In quanam corporis parte fixam habeat ſedem dolor, quem adeo vividè ſentit ? An hæreat in capite, pectore, abdomine, ſuperioribus aut inferioribus extremitatibus ? An ex parte corporis nobiliore ad ignobiliorem ? An vero ex ignobiliore ad nobiliorem retroceſſerit dolor? An in nobiliore & ignobiliore ſimul hæreat ? An cauſa cognita ſit, nec ne ? Qua ætate ? Quibus viribus ? Quo Temperamento ? Quo vitæ gaudeat regimine ? Quibus intentus ſit occupationibus ? Quibus ſubjectus ſit incommodis ? Quænam præceſſerint morbum præſentem ? An non cauſa morbi deduci queat ab aëre inſalubri, aut à contagioſo ? An à quodam exceſſu ? An ab hæreditaria diſpoſitione ? An ab alimentis diſpeptis & diſchymis, aut à fortioribus & nimis ſucculentis ? An ab immoderato uſu Veneris, Vini, & potuum ſpirituoſorum ? An à venenis, vel à rebus veneni vim habentibus ? Si literatus, an à nimiis lucubrationibus ? An à nimio & immodico exercitio, laboribus & defatigationibus excedentibus ? An ab ira aut ab affectu nimio ? An à triſtitia nimia ? An à vita molli & ſedentaria ? An à nimio ſomno aut intempeſtivo ? Hiſce præmiſſis tempus, quo morbus inchoavit, inquiri debet, & modus invaſionis, quos fecerit

cerit progreſſus? Quænam ſupervenerint accidentia? Quænam remedia fuerint uſurpata? Quemnam effectum exinde obſervaverint? Poſtea ægri ſtatum præſentem, vires, aut infirmitatem, conditionem pulſus, qualitatem & quantitatem urinæ, nec non ſudoris inveſtigat, & ſi V. S. adminiſtrata fuit, ſolicite qualitatem, colorem & conſiſtentiam, examinat; Inſimulque inquirit, an alvus ſit libera? An vomitorium propinatum antea fuerit? An purgatio præceſſerit? An diarrhœam, aut dyſenteriam expertus ſit? Quod attinet caput, conſiderare debet præſentem illius ſtatum, in infantibus vero, an non per caſum, vel per ictum, vel alio modo ſit læſum? Quæ omnia ſæpius inducunt abſceſſus aliaque periculoſa mala. In morbis omnium ætatum obſervat; An non congeſtiones, inflammationes cerebri, raptus ad caput, deliria, ſomnolentiæ, inſomnia, conjungantur? An oculi non rubeant, nimis ſcintillent, aut langueant, imo nimis obſcuri, aut tenſi appareant, aut lucem fugiant, involuntariè lacrymas effundant, diſtorqueantur? An venulæ flavæ, lividæ aut nigræ conſpiciantur? An oculi inſtabiles, aut eminentes, aut cavi, aut ſquallentes, aut fixi? An alter altro minor ſit? An oculi ſemi clauſi? aut an illibatis oculis abolitio viſus adſit? An auditus organum læſum ſit? An aures ſint lividæ, nigræ, contractæ aut frigidæ? Porro an facies inflammata? an pallido, purpureo, croceo, livido, vel plumbeo gaudeat colore? An turgiditas & inflatio faciei? An maculæ latæ, fuſcæ, vel nigræ? An torvitas faciei? an frontis contractio? an frigidus frontis ſudor? An vero uno eodemque tempore oculi cavi, naſus acutus, labia vel reſoluta, vel diſtorta, vel contracta, vel trementia? An aures frigidæ & contractæ, cutis faciei dura, color pallidus aut niger, liveſcentes quoque palpebræ? quæ præſentem faciem ſic dictam Hippocraticam

cam declarant. Ratione vocis & loquelæ obſervare debet Medicus, An clara ?An rauca? An clangoſa? An nulla? Quoad linguam An amurca obſita ? An ſubalba, aut nigricans, aut dura, aut ſicca, aut aſpera exiſtat? An non amarities in ore, aut viſcoſitas ? Pectus ſingularem plane meretur conſiderationem & debitam attentionem; Interdum violentæ puncturæ in dorſo, & in lateribus, ſiccitas cum extinctione vocis: Variæ porro aſthmatis commotiones; Dolores acuti, aut gravativi, nec non ſuffocationes, oppreſſiones, & difficultates reſpirationis ſentiuntur: Mox enim reſpiratio eſt vel frequens, vel rara, mox vel magna vel parva, mox difficilis, mox inæqualis, mox ſonora, mox erecta, mox ſublimis, mox vel calida, vel frigida; contra diſtinguitur igitur naturali reſpirationi, quæ ſine ullo fitimpedimento: Poſt dolores acutos, aut gravativos, nec non oppreſſiones, inflammatio pectoris frequenter ſequitur, hanc excipiunt ſanguinis ejectiones, ſibilus, collectiones, fluctuationes, abſceſſus, ulcera. Porro conſiderat conſiſtentiam, nec non colorem & quantitatem ſputi, præprimis in morbis pulmonum: Ulterius ſolicitè obſervat palpitationes, & motus cordis quoſcunque, nec non languores, debilitates, Syncopes, & alienationem mentis, quæ omnia in lentis febribus, ſudoribus, urinæ profluviis, & variis aliis accidunt morbis. Stomachus, dum diverſimode afficitur, Medicæ conſiderationis objectum exiſtit; quippe modo onuſtus eſt differentibus humoribus, imo & alimentis, quæ inflationes, cruditates, acrimoniam, flatus, ructus nauſeam, vomitus, colicas, diarrhœas producunt: Modo infirmus eſt, quamquam præciſe alimentis non ſit obrutus; Modo ſingultus, convulſiones, aliaque oriuntur: Ope autem tactus explorat, an non inflatio, durities, aut Scirrhus vel in Hepate, Liene, pancreate, inteſtinis, vel

meſen-

meſenterio? Tangit quoque ventrem, an non tenſio dolorifica ſeu inflammatoria, vel effuſio aquæ, quæ vel naſcentem vel formatum jam declarent Hydropem? Illo in caſu, ubi metus adeſt morbo laborare uterum, & certus tamen eſt Medicus fœminam fœtum in utero non geſtare, cauſas tum & conſequentias anomaliæ hujus diſtinguere debet; v.gr. ſuppreſſiones menſium, ejectiones, inflationes, inflammationes, obſtructiones, Scirrhos, & indurationes ſcirrhoſas, fluores albos, deperditiones ſanguinis, ulcera, & fluores purulentos, in quo ſtatu fere ſemper motus irregulares, convulſiones, & deliquia ſentiuntur. In examine functionum renum intentus eſt ad explorandum, an non dolor nephrithicus, calculi, inflammatio, ſanguinis mictio, & abſceſſus adſint? Veſicam quod attinet, illa inflari, dilatari, & inflammari poteſt: imo ſabulum & calculum in ſe continere, ſic ut exinde frequenter urinæ ſuppreſſiones, ſanguineæ & viſcoſæ urinæ, excoriationes, fungi, ulcera &c. oriantur. Ratione habitus totius corporis examinat, an æqualiter caleſcat, ac mollis ſit? An mox calefiat, mox frigeſcat? An caput, pedes & manus frigidæ, calentibus interim ſolum abdomine & lateribus? An digiti & ungues liveſcant cum corporis gravitate? An externa algeant; interna vero urantur? An frigus cum madore corporis totius in acutis? An fœtor ex corpore cadaveroſus? An pulſatio in præcordiis, cum lingua arida? An tumores præcordiorum dolorifici? An in Hypochondriis tenſio dolorifica? An pulſus? An ſi acuti morbi, Hypochondria in initio doleant aut tumeant? An ſi acuti pariter morbi ſint, abdomen intumeſcat? An in viris ſcrotum ſit pendulum & virga flaccida? Quoad cutim obſervat caput, pectus, dorſum, abdomen, extremitates ſuperiores & inferiores, an color ſit naturalis? aut nimis ruber, aut flavus, aut

aut citrinus, aut niger, aut lividus? An maculis vari coloris obſita ſit cutis? An impetigo, puſtulæ, carbunculi, bubones & alia appareant? Ratione Toni, an adauctus? an imminutus? Si acuta adſit febris, an horrores in principio frequentes, an aliis morbis conjungantur? An rigor ſit periodicus? an criticus? an ſymptomaticus? Denique inquirat Medicus, an non hernias æger celet, imo excreſcentias carnoſas, & alia mala, quæ alias non facile deteguntur. Poſtquam igitur ſufficienter inſtructus eſt, convenientia demum præſcribit remedia.

De Methodo cautè dijudicandi Urinas in Morbis.

URinam quam maxime ad cognoſcendam diverſam ſanguinis naturam, imo & ad evolutionem exactam caracteris plurimorum morborum contribuere Medici ſtatuunt; Non inepte equidem hæc dicuntur; interim attentione & cautione nihilominus opus eſt, namque ſigna nec ſatis tuta, nec ſufficientia ſemper ſunt, urina enim quoties jam decepit, & adhuc decipere poteſt? Igirur Theoria cum experientia debet congruere, ſigna quoque omnia ſolicite obſervanda ſunt: Inquirere adeoque debemus primo in naturam, inque principia, quibus urina conſtat; Secundo in qualitates, quibus in ſtatu naturali non ſolùm gaudet ſed & præternaturali; Urina autem ceu excrementum conſideratur, igitur hoc ipſum tanquam inutile, quod dies noctesque ex corpore eliminatur. Docet Analyſis chymica urinæ, variam illi in eſſe proportionem ſolidi & fluidi, imo diverſorum elementorum urinam conſtituentium. 1. Aquoſa materia ex liquidis & potulentis, quæ quotidie ingeruntur, prodit & generatur, ſeroſa verò hanc ob cauſam audit, quia ſolutis ſcatet

tet ſalibus, continet igitur urina magnam partium aquearum copiam. 2. Innoteſcunt ſapidæ i. e. ſalinæ partes, tam ex analyſi chymica, quam ex ſapore maxime Salino muriatico & tactu, nec non ex alimentis quotidie ingerendis, inprimis Salinis; Partes terreſtres ſeſe produnt, quando è capite mortuo à deſtillatione elicitur Salina pars aquoſa; eſt vero portio terreſtris vel tenuis valde vel craſſior ac fixior. Sulphureæ demonſtrantur ex analyſi chymica, quippe ejus oleum fœtidum producitur, 2. ex calore & odore, namque hi combinatione Sùlphuris & Salis prodeunt. 3. ex alimentis quotidie ingerendis, Sulphureis abundantibus particulis; elicit autem hæc ipſa analyſis multum quoque ſulphuris aut olei. De his vero principiis adæquate Cel. Bœrhave Chym. Part. II. p. 305, ſalva, ait, ſanitate nunquam Sales alcalinos generare humanam naturam colligo, ſed ſalſos neutros, idque etiam obſervavi in urina hominum, qui fervido æſtu morbisque inflammatoriis laborabant, ubi vires vitæ auctæ lotium flammeum, fœtidum, acre, paucum reddebant, talium enim ipſorum urina recenſitis ſtatim modis explorata, nullum ſignum alcali dabat. Quicquid ſit, certi ſumus, nihil ſalis alcalini nativi in urina hærere. Ergo neque in ullo humore corporis humani, quia urina ſales tenet magis, quam ullus alius humor; Tum quia ſales urinæ magis ſunt acres, alcaleſcentes, citius fere alcalini reddendi, quam alterius humoris in toto corpore. Falluntur ergo artifices, qui altum clamant ſales alcalinos, oleoſos volatiles, naturales eſſe homini; Error, quem chymia minus prudenter exculta introduxit in Medicinam, quem ſana chymia unice iterum corrigit. Fœtor ergo urinæ ſanæ individuus oleo attenuato putrido hinc & volatili, non ſali volatili alcalino debetur, ſapor amarus, ingratus, ſalſus, ſali lotii compoſito & oleo ſimul debetur,

tur, tum ſali marino, qui plerumque adeſt. Hactenus Bœrhave. Cum certitudine igitur ſtatui poteſt, urinam nihil aliud eſſe, quam mixturam diverſarum partium in qua aqueæ particulæ præ ſalinis, ſulphureis, & terreſtribus abundant; Experientia autem confirmat, per evaporationem æqualem circiter copiam harum partium elici poſſe. In Viſceribus igitur ſanguificationi & depurationi dicatis primaria eſt officina generationis urinæ, hæcque in ſubſtantia vaſculoſo-tubuloſa renum colatur, & in veſica poſtea collecta ad tempus excretionis aſſervatur; Modus autem quo urina ſanguinis generatur hic eſt: Potulentæ aqueæ particulæ primum maſſæ ſanguineæ admiſcentur, cum vero heterogeneæ & impuræ particulæ ad nutritionem ineptæ ceu inutiles conſiderentur, ope circulationis & diverſorum motuum, variarum digeſtionum, tandem puriores ab impuris ſeparantur, hæque in renibus colantur. Non ſolum autem hoc, ſed & alio modo urina quoque elaboratur, partim dum tenuior portio liquidorum in oſcula venarum in primis viis inſtillatur, partim dum copioſæ humiditates in cavo abdominis exiſtentes per papillarem Veſicæ tunicam tranſeunt, & in Veſica colliguntur, id quod ſatis ſolidè explicavit Clar. D. D. Krazenſtein in tract. de Diabete. De hoc vero modo jam olim locutus eſt Cel. Williſius in tract. de urinis. Cum maxima morborum pars vel connectatur, vel conſentiat cum tota maſſa ſanguinea, ex hac vero liquor hic derivetur, Medici exinde ſtatuerunt eundem non ſolum ſanguinis, ſed & ſeri, ſaliumque in Lympha contentorum, imo primæ digeſtionis vitia manifeſtare. Hæc vero plane cum grano ſalis aſſumenda ſunt, aliqua etenim cum veriſimilitudine liquor hic modo dicta vitia prodere poteſt, plura tamen adhuc requiruntur; Minime enim hic ipſe liquor omnia ea ſolitarie patefacere poteſt: Ineptè

igitur

igitur impudentes Medicaſtri ex ſolo hocce liquore omnia illa vitia, imo & morbos, nullam plane cum ſanguine connexionem habentes, vaticinantur; v. gr. ætates, ingravidationes, luxationes, fracturas, corroſiones, cauſas internas &c. quæ tamen omnia auri ſacra fames introduxit; Abuſus autem peſſimus rei in ſe utiliſſimæ non tollit uſum, adeoque urina ſemper in morbis inſpici debet, aptè nimirum Cel. Bœrhave in El. Chy. P. II. Medicus, ait, de exploratæ urinæ indiciis quam plurima addiſcere poteſt. Dum olei, ſalisque mutationem hinc cognoſcit, & intelligit calculum verum naſci poſſe de lotio hominis ſaniſſimi ſola quiete, etiam dum putreſcit urina & alcaleſcit. Cautelæ jam in urinæ inſpectione obſervandæ, ſunt variæ, partim ratione modi excretionis & obſervationis, partim ratione ægri in ſe, partim ratione temporis excretionis, partim denique ratione ipſius mutatæ obſervationis & loci, in quo urina inſpicitur & judicatur. Quod igitur attinet ægrum, Medicus inquirere debet, cujus ſexus ſit æger, priusquam de urina fert judicium: Etenim urina viri vel tinctior & coloratior cum pauco vel nullo ſedimento, fœminarum è contra urina aquoſior & pallidior eſt, cum copioſo ſedimento; tamen ratione temperamentorum, ætatum, morborum, differunt & variant, licet enim, uti modo dictum, urina fœminarum colore virili cedat, imo pallida ſæpe ſit cum copioſo ſedimento, hoc ipſum tamen exceptionem patitur, namque ſæpiſſimè fœmina androgenis ſeu cholericæ conſtitutionis urinam offert, quæ colore viri Phlegmatici urinam ſuperat; Si cognitus ſexus, & ſi fœmina ſit, quærere debet Medicus, an menſes fluant? an ſit gravida? An puerpera? an fluore albo laboret? ſi vir, an hæmorrhoidibus? an vero aliis excretionibus ſit ſubjectus? An hæ excretiones rite ſuccedant, nec ne? Ratione ætatis

 quærat

quærat Medicus, an ſit vel puer vel Juvenis, vel vir, vel ſenex: Etenim Juvenum urina, vividorum ſanguineorum & cholericorum coloratior eſt, ſedimentum exhibet, & concretiones, quæ in urina infantum minime deprehenduntur, uti nec in ſenum urina, quæ regulariter fluidior ſine ſedimento, ex albo nigra eſt: Quis autem eſt, qui non facile perſpiciat, à varia Temperamentorum mixtura mirificè quoque urinam quoad conſiſtentiam, quantitatem, colores & ſedimenta variare. Uti ſanorum urina à rebus naturalibus, ita & à non naturalibus mutationem ſuſtinet, & quidem 1.) ab aëre; urinæ nimirum tenuiores magis coloratæ, ſed pauciori ſedimento præditæ in calidioribus potius regionibus emittuntur, quam quidem in frigidioribus, differt autem hoc ipſum pro varia ſubjectorum diſpoſitione, prout renum major vel relaxatio vel conſtrictio, imo prout major vel minor motus 2.) à cibo & potu; inquirendum ſcilicet quo cibo & potu utatur, ut judicari queat an ex ſe qualitates urinæ? An ex cibo & potu? ex hiſce color, odor & ſedimentum maxime mutantur, prolixe de hiſce egerunt Galenus in Comment. II. ad prognoſt. Hipp. & alii quoque. Idem valet de medicamentis, quæ pariter colorem, odorem, & ſedimentum bene alterare queunt. 3.) à motu & quiete, quippe non levem urinæ mutationem inferre poſſunt motus & quies, interim magis turbida & craſſa fit ſub exercitatione, teſte experientia, quam ſub quiete, 4.) ab animi Pathematibus, namque notabilem animi pathemata producunt alterationem in urina, mox enim vel rutilare vel albeſcere poteſt, prout affectus animi ſeſe habet; 5) à metu & triſtitia, hæc enim urinam reddunt tenuem, crudam, decolorem, cum pauco ſedimento, idque ideo, quia motus in corpore imminuunt, ſicque negotium digeſtionis & nutritionis impediunt: 6.) à ſomno & vigiliis;

liis ; Etenim nimius ſomnus craſſiorem largamque , vigiliæ vero nimiæ paucam, tenuem , pellucidam , imo pro diverſis circumſtantiis rubicundam quoque efficiunt urinam. 7.) ab excretis & retentis , hæc enim inſignem urinæ inferunt alterationem, inprimis in fœminis obſtructionibus menſium laborantibus , & aliis ejusmodi morbis. Una largior excretio alteram imminuit , exemplo res fiet clarior : Sub diarrhoëa larga, vel ſub nimio ſudore, urina pauca in copia emittitur, & vice verſa : Urologi aliam dicunt urinam ipſius ventriculi , quæ poſt cibum & potum mox redditur, aquoſa & tenuis eſt , de qua jam ſupra dictum fuit , aliam ipſius ſanguinis, quæ poſt ſecundam & tertiam coctionem, aut matutino tempore, ſaturati coloris & mediæ conſiſtentiæ excernitur, hanc ad inſpiciendum & dijudicandum magis aptam cenſent, idque non ſine ratione. Circa omnem jam urinæ inſpectionem & dijudicationem tempus decubitus inquiri debet, ſi urina fuerit ægri , an ſcilicet aliquot jam dies decumbat, levitatem enim vel gravitatem morbi melius exinde poterit colligere ; Et cum ad criticum & Symptomaticum in morbis maxime reſpicere debeat Medicus, eodem tempore obſervare poterit , an ſymptomaticè? an criticè excreta fuerit urina ? Tempus quoque anni conſiderationem meretur, quo excernitur & affertur: Urinæ nimirum autumnales & hyemales regulariter pallidiores, æſtivales vero coloratiores obſervantur: Porro inquirere debet, an eodem , quo offertur die urina collecta ſit ? an matutino tempore vel alio ſit excreta ? An urina omnis, quæ una vice emittitur, ſit excepta ? An una vice emiſſa ſit, nec ne ? Simul itaque urina tota excipi, ſimulque dijudicari debet, num excepta ſit vaſculo ? ab aëre enim turbatur. Ante dijudicationem igitur ad moderatum calorem redigi debet. Ut autem eo commodius

&

& melius ſedimentum, colores, aliaque in urina conſpici queant, ſequentia requiruntur: Non adeo obſcurus locus, nec nimis à ſole illuſtratus, vaſculum pariter quod urinam continet, clarum. Denique incumbit Medico, ut ſolicite inquirat, ſi ægri fuerit urina, an v. gr. fœmina ſit? & in tali caſu, an gravida, nec ne? an puerpera? an lochia rite ſuccedant? Porro an menſes fluant, nec ne? qua diæta? quibus uſus ſit remediis? & quæ ſunt alia, quæ Medicus pro neceſſitate circumſtantiarum quærere poterit. A cautelis in urinæ inſpectione obſervandis jam ad judicium de conſiſtentia & ſubſtantia urinæ accedimus. Urina in naturalem & in præternaturalem generatim dividitur: Naturalis ſeu ſanæ urinæ requiſita hæc ſunt: 1.) ponderoſior ſit aqua, interim 2.) naturalem aquæ communis habeat fluiditatem. 3.) odor nec gravis, nec bonus. 4.) Calor vero in emiſſione urinæ temperatus ſit, ut vix ſentiri queat, niſi eo in caſu, ubi in ductibus vitioſa eſt affectio. Probe jam obſervandum notabilem eſſe differentiam inter urinas Zythopotarum & inter urinas Oenopotarum: Color flavo-citrinus ordinarie in urina obſervatur, variat tamen ſic ut aurantium colorem, imo alium quoque exhibeat. Hæc autem coloris citrini diverſitas nihil concludit ad alterationem Sanitatis. Dantur autem è contra tenues urinæ pondere leves, ad inſtar aquæ pellucidæ, plus minus turbidæ, quæ oriuntur vel à læſa digeſtione vel ſanguificatione & copia cruditatum, vel notant defectum vel nimiam partium Salinarum & Sulphurearum reſolutionem, defectus vero oritur, vel ab obſtructione viſcerum, vel viarum, per quas urinæ emittuntur, ſcilicet à cauſa ſolida, ſabulo, calculo renum vel ureterum, vel à nimia reſolutione humorum v. gr. in diabete, febribus, abuſu diureticorum vel poſt ſuperatas febres exanthematicas, acutas, dyſenteriam, vel à

copia

copia ſeu uti in Phlegmaticis, fluore albo laborantibus, chloroticis, immo interdum in Hypochondriacis aut Hyſtericis, & iis qui paulo ante partum ediderunt; Urinæ porro tenues & aquoſæ in Nephrithicis imminentem præſagiunt paroxiſmum, transcolatur enim ſeroſitas per vias urinarias remanente ſabuloſa materia, valde nimirum conſtricta ſunt vaſa renalia; tenues & pellucidæ quoque apparent urinæ, eo in caſu ubi à cauſtico veneno, vel à vermibus inteſtina vellicantur & convulſiones producuntur. Quamdiu urinæ tenues in morbis acutis & malignis, tamdiu nulla criſis & evacuatio ſperari poteſt, ſive jam copioſius profluant urinæ, ſive debita quantitate, jure tamen meritoque peſſimum habetur ſignum, præcipue in morbis ad dijudicationem ſeu criſin tendentibus; Etenim coctionis morbificæ materiæ denotat impedimenta, adeoque impuritates per viam hanc ſolennem ex ſanguine eliminari nequeunt. Hinc & cel. Bagliv. in prax. Med. urinas tenues ſemper in auctis ſuſpectas declarat. Peſſima adeoque in febribus hiſce augmenta ſunt, quippe tenues & aquoſæ urinæ in inflammationibus uteri, Ventriculi, pulmonum &c. apparent, immo in deliriis & phrenitide: Inde Hipp. aph. 75. Sect. IV. quibus, ait, pellucidæ & albæ funduntur urinæ, calamitoſæ; maxime autem in phreneticis tales apparent. Idem Hipp. Coc. 581. febri, inquit ardente, cum alto ſtupore (quem catochum dicunt) detentis, ex albida urina peſſima eſt. Peſſimam porro viſcerum conſtitutionem, nervorumque teneritudinem tales indicant, inſequuntur enim interdum, vertigo, melancholia, cardialgia, convulſiones, epilepſiæ, quæ ſi diutius durent, accedente virium debilitate, mortem producunt. Hipp. hinc Coac. 599. Urinæ, inquit, præter conſuetudinem tenues & crudæ absque repletione, in morbo comitiali, obnoxiis,

morbi

morbi inſultum denunciant, idque præcipuè, ſi in ſummum, aut Cervicem, aut dorſum dolor aut convulſio incidat, aut torpor totum corpus occupet. Primario igitur malignos & acutos morbos concernit notum illud effatum: Pulſus bonus, urina bona, & æger moritur: Non nunquam enim cum ingenti ſymptomatum graviorum periculo pellucida limpidaque manet, mixtura ſanguinis plenariè turbata, ita quidem, ut materia morbifica ex corpore eliminari nequeat: Hinc talis urinæ toties quoties jam ut vates cecinit de imminente delirio, phrenitide, convulſionibus. Urinæ tandem tenues, vi obſervationum, gangrænam producunt, quæ gangræna ab acri ſero diutius in corpore detento, oritur. Dijudicari porro urina debet ex copia. In ſanis etenim paulo minor copia urinæ naturalis eſſe debet, liquidis quotidie ingeſtis, idque hanc præprimis ob cauſam, quia hæc liquida non ea iterum excernuntur in copia, qua quidem fuerunt aſſumta, quædam enim pars corpori accedit, reliqua autem tam per ſudorem & perſpirationem, quam per excrementa alvi, ſputum, mucum & urinam eliminatur ex corpore, & niſi accedat larga difflatio halituoſâ per cutim, vel augeatur copia per illius defectum, tres partes aſſumtorum liquidorum in circa excernuntur, remanente quarta in corpore. Debita & naturalis copia reſpectu aſſumtorum, naturales digeſtiones, mutationes humorum, adeoque laudabilem viſcerum conſtitutionem innuit: hæc urina vero vel in exceſſu vel defectu peccare poteſt. Pauca urina à cibis ſiccis, temperamento calido & ſicco, ptyaliſmo, pauco potu, diarrhœa, motu & exercitiis validis, ſudoribus, obſtructione vaſorum vel ſtrictura, ortum habet, ac interdum ſeri & Lymphæ defectum, interdum viſciditatem & ſtagnationem aut extravaſationem denotat, uti v. gr. in Hydrope & cachexia

hoc

hoc obſervatur; Imminutionem vero urinæ regulariter comitantur, nauſea, vomitus, affectus catharrhales & ſoporoſi, tuſſis frequens, difficultas reſpirandi, diarrhœa, ſudores plus minus copioſi, viſcerum inflationes, tumores œdematoſi, hydrops. In acutis febribus, vel inſtante criſi per ſudorem, ſi urina ſubſiſtat, vel parca in copia profluat, nihil mali notat, ideo quia natura morbificam materiam per ſudorem expellere poteſt. Si urinæ ſtillicidium, aut plenaria ſuppreſſio, cum dolore nephritico ſubito ſit exorta, ſæpe renum denotat calculum, dolor vero ſi in abdomine cum tali ſuppreſſione vel ſtillicidio obſervetur, indicat calculum veſicæ urethram obſtruentem, & excretionem urinæ impedientem, interim non ſolida ſolum cauſa, ſed & alia v. gr. mucus obſtruens ureteres talem producit ſuppreſſionem, tale ſtillicidium; periculo plena eſt ſuppreſſio à retentione nimia orta, quippe ſuppreſſionem talem poſt frigus in acutis periculoſam eſſe, Baglivus ex Hippocrate. Alias urinæ ſuppreſſio brevi tempore vel mortem vel Hydropem producit; Urinæ ſtillicidium in Hydropica lixivio ſimile lethale fuiſſe, obſervationes innuunt: ſignificatur igitur urinæ interceptio laborioſa, quando in crebrioribus & tenuioribus ex dorſo horroribus tenuiter exudantes ægri male ſint, in his tenuiter exudare malo eſt. Coac. 46. Aliorſum adeoque tendere ſerum concludimus; ſtillicidio porro urinæ tenuioris inteſtini morbus ſuccedens intra VII. diem interimit, niſi ſuborta urina affatim prodierit. Coac. 475. ſi poſt urinæ ſuppreſſionem à calculis, Hydrope, atque aliis diuturnis morbis larga afferatur urina, ſalutaris eſt, & ſolutionem morbi indicat, in acutis quoque critico die emiſſa urina copioſa, bonum. Hippocr. ſect. IV. aph. 74. Quibuscunque, ait, abſceſſus in articulis expectatur, ab abſceſſu eo vindicat urina multa, craſſa & alba, qualis

 laborio-

laborioſis in febribus exire ſolet, quartum diem morbi agentibus. Si macilenta corpora ſemper copioſam excernant urinam, atrophiam imminere ſtatuunt Medici: De ſuppreſſione Hipp. Coac. 589. Derepente, inquit, obortus renum dolor cum urinæ ſuppreſſione calculorum aut urinæ craſſæ mixtionem denotat. Uti ex ſubſtantia, conſiſtentia, & copia judicium ferri ſolet, ita in examinanda urina pro diagnoſi & prognoſi morborum conſideratur color urinæ. Ea nimirum urina, quæ poſt digeſtiones in corpore abſolutas excernitur, colore gaudet citrino ad inſtar lixivii mediocriter cocti, pro naturali urina habetur: Adſcribi autem debet maximè oleo calido ſubtili, nec non ſalinis particulis naturaliter in ſanguine contentis: Laudabiles igiter digeſtiones, & hinc conſtitutionem viſcerum bonam adeſſe concludimus: Uti rectum eſt norma obliqui, ita illa urina, quæ modo dicto colore non gaudet, potius vero ab illo diſcedit, cæteris paribus præternaturalis dici debet, quæ vero varia eſt: Tenuis jam pallida cum mucoſo ſedimento tenaci, putrida ſalſamenta ſpirans, juxta Cel. Bœrh. Inſt. Med. notat calculum veſicæ. Datur porra craſſa, pallida ſ. lactea, quæ tamen ab ingeſtis emulſivis ortum non ducit, partim depravatam indicat coctionem, partim copiam partium terreſtrium, ex quibus in ætatibus conſiſtentibus non ſolum morbi cerebrum, ſed & vias urinarias affligentes, oriuntur; Phlegmaticis, frigidioribus, familiares ſunt hæ urinæ. Pallida aquoſa in febribus quibuscunque denotat cruditatem, & labefactatam naturalis œconomiæ vim, imo naturæ debilitatem, referri adeoque huc merentur, quæ prolixius de tali aquoſa pallida urina jam dicta fuerunt. Sub pallida, glauca, ſpicea, & ſubſpicea à craſſa vel lactea non niſi gradu differunt, evenit autem interdum, ut præter omnem morbum pallida & aquoſa tenuis

tenuis fiat urina, partim à copia ingeſta potus aquoſi, unde urina potus ſupra dicta fuit, partim à remediorum diureticorum largo uſu, partim vero ab imminuta digeſtione præcipuè in ſenibus, imo humido abundantibus ſubjectis; Pallida & aquoſa tenuis non ſolum copioſum potum, ſed & diabeten inſimul indicat. Urinæ quoque opacæ & turbidæ ſunt, ex quibus concludendum aqueas particulas peccare juſta proportione, eo igitur in ſtatu, ubi materia frequenter ad caput & pectus delata, cephalalgiæ & dolores in pectore ſentiuntur; Neque minus in diarrhoëis & fluxibus alvi chyloſis, in incipiente Hydrope, & in declinatione quarumcunque febrium & rel. opacæ, craſſæ, & turbidæ apparent. Ea urina, quæ inſtar Spiritus Nitri tincti rutilat, flammea aquea dicitur urina, obſervatur jam citra omnem morbum talis flammea poſt uſum radicis cryſogoni, præternaturaliter vero tum, quum oleoſæ, ſubtiliores, ſulphureæ æque ac ſalinæ inteſtinum, eumque fortiorem habent motum, indicant adeoque æſtum ſummum, cruditates cum obſtructione viſcerum; Obſervatur vero non ſolum in acutis, ſed in quibusdam febribus intermittentibus. Tenuis jam & ſine ſedimento urina, tam capillarium vaſculorum, inprimis totius cerebri deſtructiones gangrænoſas & ancipitem in acutis criſin, imo mortem ſæpius prædicit; excernitur autem tam in febribus quam extra febres, in inveterato ſcorbuto, podagra, arthritide, Hydrope, aliisque affectibus talis urina rubra, per ſe nimirum rubicunda, quæ nec nimis tenuis, nec nimis craſſa, hæc ipſa iterum calido ſubtiliori oleo debetur, peſſimosque infarctus viſcerum notat. Regulariter ruber urinæ color adauctum indicat calorem; Interdum tamen non à principio caloris, ſed ab aliis cauſis ortum ducit, namque à præſentia exquiſitorum dolorum, nec non colica, à frigore producta.

Quæ vero præter rutilum colorem adhuc turbida exiſtit, nec in febribus clareſcit, malum eſt ſignum: Si ſaturatè rubens in febribus permaneat urina, materiæ morbificæ præſentiam adhuc denotat, ſi vero ſedimento ad fundum demiſſo clara & rubrocitrina, febrim in pejus ruere concludendum. Ex ante dictis conſtat, regulariter pellucidam citrinam & flavam ſtatum naturalem indicare, hoc ipſum tamen non ſemper verum manet, namque interdum denotat malum, talis nimirum effectus in malignis prodit nequitiam, quæ non ſolum in maſſa ſanguinea, ſed & ob virium proſtrationem in ſpiritibus animalibus exiſtit, adeoque funeſtum indicat eventum. Diverſæ alterationes, quas bilis maſſæ ſanguineæ imprimit, ad urinæ varium colorem multum contribuunt, dum croceam eandem flavamque efficit, id quod hepatis & pororum biliariorum declarat obſtructionem & abundantiam humorum bilioſorum: Tali jam in ſtatu vel adſunt vel imminent febres bilioſæ, continuæ, inflammationes, deliria; Si linteamenta tingat flavo colore præſentem vel inſtantem notat icterum: obſervandum vero eſt, quod caſſia, Rhabarbarum, crocus, urinis extraordinarium communicent colorem, absque alteratione, vel præſente vel imminente morbo. Quod nunc attinet nigras urinas probè perpendendum, dari nigras ad rubedinem vergentes, & dari fuſcas lividas; hæc ipſa vero tinctura non aliam agnoſcit originem, quam diverſam qualitatem liquorum in ſanguine quaſi dominantium v. gr. bilem, quoad priorem, tum nigra urina ad rubedinem vergit, quum extraordinarius ſanguini ineſt calor, qui per totum corpus diffunditur, cum ſiti immodica, ſi vel renum acuti dolores, vel dyſenteria, vel teneſmus, vel ſcorbutus, vel Rhevmatiſmus, vel podagra, vel denique copioſi adſint ſudores: Quoad poſteriorem, in morbis qui-

busdam

busdam urinæ fuſco - lividæ funeſtæ ; Interdum vero criticæ ſunt, uti in acutis; Hinc Gal. Comm. in 3. Epid. ſect. 3. dicit, ſe noviſſe quandam mulierem, quæ his urinis, magna copia evacuatis, plurimum fuerit juvata. Porro in Temperamentis Melancholicis & Hypochondriacis, & in Menſium ſuppreſſione. Sub nigra comprehenduntur quoque virides & æruginoſæ, violaceæ, cinericeæ, plumbeæ, quæ à ſalibus auſteris, oleo craſſo, ſulphure & bile commixtis, nec non à largo uſu Spiritus Vini deducuntur, & inprimis virides & violaceæ obſervantur in Venereis morbis, imo in affectione renum, obſtructione menſium, poſt excretum calculum in ipſo ictero inveterato, in quartana, tandem poſt purgationem absque effectu exhibitam; Et lividæ, æruginoſæ, nigræ, teſte Riverio in inſtit. Med. malignos ſignificant morbos. Etenim vi experimentorum, liquor acidus, bili affuſus, poſt digeſtionem primo viridem, poſtea nigrum inducit colorem: Hipp. hinc Coac. 49. Urinæ, ait, nigræ cum magno & concitato Spiritu perniciem inferunt; Et Coac. 579. Virides & palleſcentes, nec in colore perſiſtentes, malæ ſunt in acutis: Tandem Coac. 580. urinæ nigræ, in quibus ſubſidet nigrum, lethales. A rebus autem externis & aſſumtis præter morborum tinguntur urinæ v. gr. a fructu liguſtri, a Senna, caſſio & aliis; interim à ſanguine quoque fœculento tinguntur, id quod manifeſtum fit per illius ſubſidentiam. Quamquam igitur quidam urinas nigras fuſcas minime funeſta ſigna habere ſtatuant, nihilominus tamen ſuſpectæ manent, & pravitatem, imo inſignem dicunt humorum à ſtatu naturali receſſum. Tranſimus à judicio ex colore urinæ ad judicium ex ſono. Equidem urinam cum ſono ſeu ſtridore emiſſam ſtatum ſanum & naturalem conſiſtentiam, plurimi indicare prætendunt; E contra absque ſtridore prodeuntem

deuntem, gelatinoſas, viſcoſas, craſſas, & oleoſas prodere particulas; Interim laxitatem potius tubulorum renalium, quam præcisè oleoſas & gelatinoſas particulas declarare poſſunt. Odor quoque conſiderationem meretur; Dividitur in ſuaveolentem, fœtentem, nihil vel raro olentem, naturalis omnibus nota eſt, & denotat fluidarum & ſolidarum laudabilem diſpoſitionem: Suaveolentem urinam quod attinet, raro ex ſe & ſua natura ſuavem exhibet odorem, potius vero ex illis, quæ volatiles & balſamicas ſecum habent particulas v. gr. ex oleis deſtillatis, terebenthinatis, aromatibus, aliisque ejusmodi ſuavis prodit odor; è contra allium, aſparagus, & flores olerum non niſi ingratum & fœtentem relinquunt odorem. Hæ vero mutationes regulariter nullum indicant ſtatum præternaturalem: Eo vero ſolum in caſu vere urinæ fœtentes ſunt, ubi ſanioſæ & purulentæ, vel a pure, vel abſceſſu, vel ulcere veſicæ, imo ab abſceſſu pectoris & abdominis rupto, per urinam ejecta fuit materia purulenta modo critico; In acutis febribus reſolutionis quoque putredinoſæ & imminentis mortis indicium eſt. Circa urinam conſiderari quoque debet ſedimentum in ſtatu naturali, & in ſanorum urina ordinario ſedimentum deprehenditur, quod ſi albedine, mollitie & levitate careat, ſtatum præternaturalem declarat; Interim Temperamenta calidiora exhibent tale præter omnem affectionem morboſam. Interdum urina calida eſt, ſed à Calore urinæ non omni tempore ad caloris in ſanguine gradum concludere poſſumus, equidem exempla proſtant, ubi in maximo æſtu, tenuis, pellucida urina fuit. Urina amiſſo calore naturali, & aëri expoſita exhibet concretiones, quæ occupant ſuperficiem, medium & fundum, quæque diverſa naſciſcuntur nomina, pro diverſo ſitu: Nubecula vocatur ea concretio, quæ in ſuperficie urinæ condenſatur; ea quæ in medio appa-

ret

ret ſuſpenſio, tandem ea quæ ad fundum ſeſe præcipitat, ſedimentum dicitur. Non autem in omnibus urinis iisque naturalibus formantur concretiones; frequentiſſime non niſi nubecula ſola invenitur, quæ cinericea, levis & æqualis in omnibus partibus exiſtit: Prout igitur oleoſæ, ſulphureæ, ſalinæ & terreſtres partes combinatæ ſunt, ſic & invicem hæ differunt; Ea nimirum concretio, quæ ſedimentum vocatur, majorem partium terreſtrium continet copiam. Modo dictum vero ſedimentum, vel loco, vel qualitate, vel quantitate immutatur, idque variis ex cauſis; vel à morbo, vel à critica excretione, imo à genere vitæ, cibo, potu, Temperamento, ſexu, aëre & rel. Datur jam urina, in qua nec nubecula obſervatur nec ſuſpenſio, nec denique ſedimentum, partim ob digeſtionum defectum, cui obſtructiones combinantur, partim ob inediam, ob defectum alimentorum, & ob fortiores imo nimios labores: Uti autem modo dictum fuit, urinam tam nubecula, quam ſuſpenſione & ſedimento carere poſſe, ita & contra annotandum, dari multum & copioſum ſedimentum, partim ob ætatem, partim ob temperamentum, partim ob ſexum; Hinc fœminæ, pueri, ſenes, Phlegmatici plus ſedimenti habent, quam ætas juvenilis & virilis, atque cholericum temperamentum, partim ob atoniam Viſcerum digeſtioni & concoctioni inſervientium, partim denique ob copiam ciborum ingeſtorum, inprimis diſpeptorum & diſchymorum. Ea urina, quæ poſt paucas horas demittit ſedimentum, cruditates potius, quam exceſſum oleoſarum, ſulphurearum, & ſalinarum partium denotat, malum vero, ſi pellucida non fiat poſt plures horas. In febribus optimum eſt ſedimentum album, leve, mox ſubſidens, æquale, vix odorum, namque imminentem morbi indicat ſolu-

tionem, tale enim ad naturales digeſtiones proximè accedere videtur: Multi ſtatuunt, urinas viſcoſum album continentes ſedimentum, veſicæ calculum indicare, diſtinguenda tamen ſunt tempora, interdum renum calculos indicant, interdum vermes in pueris. Ad inſtar cretæ album ſedimentum crudis terreſtribus partibus adſcribi debet, atque in ſcorbuticis, Hypochondriacis, calculoſis, arthriticis ſubjectis, nec non in phlegmaticis pueris, ſenibus obſervatur, unde Hippocrates Præd. Craſſa, ait, urina, in qua ſubſidet album, tumorem & articulorum nunciat dolorem; Interdum vero acidum adeo abundat in pituitoſis, aut veſicæ calculo laborantibus, ut ſedimentum colore & conſiſtentia vere mucum narium referre videatur. Si urina ſæpe pauca in copia emittatur, intermittat, interdum quoque ſubſideat leve & album quoddam, minus ſecurum diuturniorem morbum, & impedimentum coctionis indicat. Sedimentum rubrum ad inſtar boli armenæ, & farinæ laterum à prædominio ſalis, olei, & ſulphuris oritur, ac inteſtinum ſanguinis motum adauctum in febribus notat, in intermittentibus autem febribus præ reliquis tale in urina apparet. Si craſſum, rubrum, & friabile ſabulum, quod emiſſa urina petit fundum, tunc nephriticum morbum adeſſe ſtatuit Ill. Fr. Hoffmannus Tom. III. ver. Ther. ſect. I. de ſedimento rubro quoque ſupra jam actum fuit. Si arenulæ rubicundæ copioſe cum urina excernantur, renum calculum nunciant; interim dantur calculi ubi non arenulæ hæ excernuntur, & viciſſim hæ arenulæ ſine hærente in renibus calculo, equidem hypochondriaci non raro tales cum urina excernunt. Urinæ frequens excretio imminentem geneſin calculi nunciat cæteris paribus. Urinæ excretio quæ inſciis ægris fit, peſſima hinc Hipp. in l.

prorrh.

prorrh. Urinæ excretio in non recordantibus pernicioſa. Oritur talis vel à cerebri læſione varia, vel ab atonia ſolidorum. Sedimenta farinacea dum ex fixis, craſſis & terreſtribus cruditatibus conſtant, defectum coctionis indicant, hæ vero cruditates craſin ſanguinis deſtruentes, niſi critico eliminentur modo, funeſta producunt, ſi vero acidum tartareum in corpore exiſtat, quodque poſt excretionem in cremorem concreſcat, vel ſi exulceratio veſicæ & ſcabies, vel ſi furfuracea & ſquammoſa fiant ſedimenta, facile patet, fœditatibus hiſce critico modo non expulſis, calamitoſa corpori accidere mala: ſquammoſo ſedimento repleta urina, largam poſt ſe trahit urinam & veſicæ teneſmum, & in his poſterioribus circumſtantiis urinæ ſunt acres, glutinoſæ, lacteæ, id quod eo in caſu evenire poteſt, ubi in Veſica hæret calculus; tartareæ autem cruditates in febribus, ubi ſedimenta inſtar hordei toſti apparent, diuturnos denotant morbos; Urina quæ ſputo ſimilia ſedimenta exhibet, aut limoſa, rigorem denunciat, quæ aranearum telis ſimilia quædam habet, colliquationem Hipp. Coac. 582. Livida ſedimenta peſſima, item nigra ſedimenta funeſta in urinæ viridi eſſe Riverius ait: Et poſt febres, nigras in urina exiſtentes nubeculas, quartanam denuciare ſtatuit idem Hipp. Coac. 582. Scilicet ex ante dictis repeti debet, ab acido deduci nigredinem, quod acidum ſanguinis mixturæ infeſtum, ſicque facile talis oriri poteſt morbus. Interdum cum urinis excernuntur filamenta; fœminæ fluore albo laborantes, & omnes ii, qui Luem Veneream experti ſunt, copioſius talia excernunt; filamenta vero ex collo veſicæ, aut ex vicinia colli veſicæ provenire exinde patet, quod ſemper primo excretionis momento excernantur. Pilos porro ſatis longos interdum per urinam emitti, à variis

Medicis traditur, veros interim pilos, cum cibis aſſumtos eliminari per urinam rarum omnino eſt. Vermes in urina pariter obſervarunt Medici, has ex putrido humore vel circa veſicam, vel ab ulcere in vicinia deliteſcente originem habere non improbabile eſt. Membranæ & carunculæ interdum prodeunt cum urina, quæ deduci debent, vel à concretionibus polypoſis, vel ab exulceratione penis & veſicæ in morbis venereis, vel à ſeparatis partibus ipſius veſicæ, à graviori nimirum calculo. Sanguis & pus admiſcentur interdum urinæ, quod pus attinet, à renum, veſicæ, uteri, urethræ, ſæpe vero & ab hepatis, pulmonum imo & â reliquorum Viſcerum ulceribus derivari ad urinarias vias obſervationes produnt, & jam ſupra dictum fuit. Pus denique verum ex ſpina ventoſa in M. H. reſorptum, per urinæ vias poſtea excretum fuiſſe Exc. Dn. Dr. & Archiat. Bilfingerus, Patronus noſter colendiſſimus, obſervavit. Quod concernit ſanguinem, ruptis vaſis ſanguiferis in veſica, renibus, pene, vel utero, remixta ſanguine apparet urina, diverſæ vero ad modo dictam rupturam concurrunt cauſæ, vel enim fit per hæmorrhoides in viris, in fæminis præter omnem morbum per purgationem menſtruam, à plethora, in ipſa febre imo & extra febrim critico excernitur modo, ſi vero ſcorbutica adſit diſpoſitio, tunc eroduntur vaſa, fit vero & ab elementorum ſanguinis deſtructione, quæ omnia ſymptomatice fiunt, adeoque funeſta ſunt, ab injuriis pariter externis ab ictu, lapſu, ſaltu nimio, ab abſciſſo crure vel brachio; Imo & ab aliis cauſis, veneris exceſſu, purgantibus draſticis & rel. huc ſpectant aph. Hipp. 78. & 80. ſect. IV. Urinæ porro ad inſtar cruſtarum ſupernatare ſolet pinguedo, deducitur autem à calore interno depaſcente, & pinguedinem in exterioribus

partibus

partibus colliquante, quæ fuſio funeſti ominis eſt; Datur autem citra periculum pinguedo urinæ ſupernatans, quæ à pinguibus & oleoſis alimentis, in copia ingeſtis, deduci debet, in ſubjectis cacochymia ſalina laborantibus præter talem pinguedinem aliquid ad inſtar telæ aranearum innatat, concreſcens mox poſt excretionem urinæ, quæ concretio ſali acido & alcalino adſcribitur; Hipp. itaque Prænot. Lib. ſect. II. pinguedines, ait, ſupra innatantes aranearum telas referentes, damnare oportet, colliquationem namque ſignificant. In reſolutione nervorum, in malo Melancholico, Hypochondriaco, & rel. ſpumæ & bullulæ circulum diu ſervantes, muciditatem ſanguinis & affectus catarrhales, tuſſesque declarant. Admiſcetur vero ſæpius in urina virili ſemen, quod ex eo manifeſtum fit, quia regulariter ſupernatat urinæ, cum tamen pus & pituita ſubſideant conſtanter, variæ autem dantur cauſæ, vel enim præter morbum fit mox poſt coitum, vel à nimia ejus copia poſt pollutionem nocturnam, morbificè vero in gonorrhoëa, Lue Venerea, Elephantiaſi, ubi nimirum ſalia copioſa corrupta ſunt, quæ hanc promovent excretionem. Veneno corruptum ægrum eſſe, tum demum viridis probat urina, quum dolor cardialgicus, anguſtiæ præcordiales adſunt, & in fundo nulla apparet materia. Fallaces & ſuperſtitioſæ dantur probationes urinæ, quæ v. gr. ex occulta petuntur Philoſophia, defodiendo urinam in terram, aut coquendo certis cerimoniis vel intra peculiaria corpora abſcondendo. Urinæ vero probationes ex reſolutione chymica petitæ variæ ſunt, partim fiunt ponderatione, partim præcipitatione, partim evaporatione, partim denique deſtillatione: Particularum jam Salino-terreſtrium fixarum copiam quod concernit, multi credunt, variante

 pondere

pondere ſpecifico urinæ, Hydroſtaticis inſtrumentis demonſtrari poſſe. Quamquam autem quædam demonſtrari queant, tamen cum neſcias, an pituita viſcida ac terreſtris mucus, an tartarus, an Sal prædominium habeant, nullam inde formare poteris certitudinem. Non ſolum autem vi ante dictorum, copiam ſalium in urina contentorum ex ſapore & odore, ſed & ex evaporatione, imo & ex deſtillatione & capitis mortui calcinatione explorari ſcimus: Aſt quis non perſpicit? actiones ignis fortiores non ſolum res ab invicem ſeparare, ſed & in alias mutare ſubſtantias. Difficile autem ut plurimum eſt □ri in urina proportionem invenire, interim tamen in urina honeſtæ fœminæ leproſæ evaporata, ſedimentum ſalinum cruſta obductum ſquammarum ad inſtar, & in viro motibus convulſivis obnoxio materiam ſulphuream dimidium integri liquoris pondus excedentem, celebris quidam invenit Medicus; ex hiſce autem ad maſſam ſanguinis & ejusdem craſin concluſionem formare non licet. Facile jam quivis comprehendere poterit, quod licet urinarum inſpectio utiliſſima ſit, hæc ſola tamen inſpectio non ſufficiat, adeoque nec tutum de ſtatu & conſequentiis formari poſſe judicium. Quod ſi igitur ſano modo de morbo judicare velimus in caſibus quoque ordinariis, non ad ſolam urinarum inſpectionem & dijudicationem recurrere, potius vero eandem cum reliquis ſymtomatibus ſolicite combinare debemus: Exemplores fiet clarior: In febribus malignis circa bonam vel malam urinarum diſpoſitionem hærendum non eſt, ratio eſt in promtu, quoniam non raro ſatis naturales apparent in ipſo articulo mortis; E contra ex ſummo vitæ periculo ad meliorem ſtatum ægros redire quotidie conſpicimus, licet urinæ ejusmodi ægrorum non niſi funeſta prædixerint.

Hinc & Illuſtr. Dn. van Svvieten coment. in aph. Bœrh. de morb. cogn. & cur. Tom. II. pag. 90. rarius, ait, per urinæ vias ſola totalis materiæ febrilis evacuatio critica facta fuit. Provide igitur hic agendum, & nec nimis parum, nec nimium hiſce tribuendum eſſe, ſanus perſpicere poterit Medicus.

De Methodo caute dijudicandi Criſes.

CRiſin varia gaudere ſignificatione in confeſſo eſt; Interim ſubitam illam mutationem morbi in acutis vel in ſanitatem vel in mortem à diſpoſitione materiæ morbificæ, ſtato ordinarie die ortam, propriè criſin vocamus. Multi ad ſanitatem ſolum reſtringunt criſin, ea inducti ratione, quod criticum opponatur ſymptomatico. Hæc jam materia, modo dicto diſpoſita vocatur Medicis critica. Criſes dividuntur in perfectas, imperfectas & præmaturas. Perfectas quod concernit, vocantur eæ tales, in quibus evacuationes adeo abundantes ſunt, ut cauſam mali tollere queant, & ubi æger inſuper impune extraordinarium motum à natura inſtitutum ſuſtinet. Tali in caſu ceſſatio morbi in ſe quoque vehementiſſimi, præſumi debet. Vera cauſa modo dicti motus inſita eſt vis vitæ, à morbifica materia ſtimulante in actum deducta, qua morbifica cauſa in ſalutem corporis excutitur, ſi vero debilior ſit, in perniciem vergit. Signa criſeos laudabilis eſſe coctionem materiæ morbificæ in urina comparentem vel excretionem per ſudores, vel per alvum, nec non ipſam virium bonam conditionem, plurimi ſtatuunt medici; interim non adeo firma hæc ſunt, quia frequenter critici motus in ſe ſaluberrimi ægris ſub magno illo naturæ negotio incommoda non levia afferre queunt, uti

uti quotidiana experientia quemvis poterit convincere. Hinc Hippocrates aph. 13. ſect. II. Quibuscunque, ait, propinqua eſt criſis, nox eo paroxiſmo ſuperior gravis eſt, quæ vero nox ſuccedit (criſi) maximam partem facilis eſt. Unde Galenus Meth. Med. L. I. optime monuit, in tolerando difficultatem omnem criſin quidem antecedere, illam vero fieri nocte, ſi interdiu morbus judicandus ſit; de die vero, ſi nocte judicium futurum ſit. In perniciem ægri tendentes criſes ex eo judicantur, quod excretiones ſufflaminentur, & in diebus criticis ægri graviſſimè decumbant. Hippocrates primus fuit qui monuit, cujusvis ſeptimi & dimidiati ſepteni diei in morbis acutis rationem eſſe habendam, eo quod iisdem per ſudorem maximè, alvum, aut hæmorrhagiam à natura inſtituantur excretiones, quarum ſucceſſu abſoluto ipſæ febres demum ſolvantur, & hos vocavit criticos, ſeu decretorios, quia judicium de morbi eventu ferrent. Apte Bœrh. aph. 590. de febb. Initia, ait, incrementa, ſtatus, decrementum, criſis, mutatio, ſanatio febris, varia ſunt in ipſis acutis & ſingularibus. Ordinarii dies in quibus perfecta oritur criſis, quique ideo critici vocati fuerunt, ſunt ſeptimus, decimus quartus & vigeſimus, & interdum quadrageſimus primus. Ad ſenſum criſeos intelligendum, & rationem dierum criticorum, inſervire poterit Hipp. §. 9. de diebus judicator. Judicantur, ait, febres quarta die, ſeptima, undecima, decima ſeptima & vigeſima prima, quædam trigeſima, & quadrageſima. Illa jam mutatio, quæ à materia ad evacuationem & mutationem loci diſpoſita in corpore oritur, dicitur critica perturbatio; Quod ſi autem in ſenſus incidant modo dictæ mutationes, critica ſymptomata audiunt; Diſtinguenda autem ſunt hæc ipſa ſymptomata critica à morboſis

boſis, inſignia quippe ab ignorantia tali oriuntur mala, & mors facillimè ex culpa medici, talia confundentis, acceleratur. Signa igitur ſymptomatum criticorum ſunt, quod partim vi vitæ, quæ vis vehementiam morbi ſuperat, partim prævia coctione eaque laudabili, partim circa deſtinatum tempus criticum proveniant, partim mox levent. Humores autem nec nimium ferveſcentes, nec nimis torpidi & parum mobiles deſiderantur ad laudabilem criſin, in initio criſium vi obſervationum, nec lac in mammis, nec pus in ulceribus, nec in aliis organis ſecretoriis liquida ſecernuntur. Imperfecta & præmatura jam criſis ea vocatur, quæ nimis cito formatur, & diebus quidem extraordinariis; hiſce diebus annumerantur quartus, ſextus, octavus, decimus & reliqui inſequentes eodem ordine, minus accurata tamen eſt denominatio imperfectæ & præmaturæ criſeos, ob errores, qui in prognoſi committi poſſunt. Quemadmodum evacuationes, quæ non rite procedunt, inter alia à materiis inſufficienter præparatis oriuntur, ita nullam eo ipſo important diminutionem in morbo, partim ob inſufficientem copiam, partim ob organi excretorii malam diſpoſitionem, partim ob motus non ſatis validos. Hoc igitur modo morbus diuturnior & periculoſior, imo interdum lethalis fit. Egregie Ill. Dn. van Svvieten in Comm. de morb. int. pag. 91. Omnium, inquit, optimus & ſaluberrimus foret ille febris exitus, quando nempe cauſa materialis febris ſic ſubacta fuit & mutata per ipſam febrim, ut ſanis humoribus perfecte aſſimilaretur, adeoque cum illis absque ulla functionum læſione æquabilis circulationis lege per vaſa fluere poſſet. Hæc foret vera, & proprie dicenda πέψις ſive coctio, perquam nempe in coquentis ſubſtantiam illud deducitur, quod concoquitur, diſtinctiſſima ab illa coctionis ſpecie, quæ πεπασμὸς ſive maturatio melius vocatur, perquam

materia morbi ad exitum præparatur. Datur autem ulterius acriſia, ubi nec perfecta nec imperfecta ſequitur Criſis, hoc in caſu præparata materia excretionem quidem expectat, ſed inutiliter; interdum vero præparata eſt materia & ad debitum locum depoſita, deficiente interim energia naturæ, inde & non ſolum periculoſus, ſed & lethalis morbus fit. Antea jam mentio facta fuit de ordinariis ſic dictis diebus criticis, jam de indicatoriis quædam monenda ſunt: Ideo indicatorii audiunt, quia quid decretorio critico die futurum ſit, indicant. Hipp. aph. 23. & 24. Sect. II. Succeſſum criſeos ita deſcribit: Acuti morbi in quatuor decem diebus judicantur, ſeptimæ quarta index eſt, alterius hebdomadis octava principium eſt; Conſideranda vero undecima, hæc enim quarta eſt ſecundæ hebdomadis: Dein rurſus conſideranda decima ſeptima, ipſa enim eſt quarta quidem à decima quarta, ſeptima vero ab undecima. Ulterius libr. III. Præſag. §. 7. & 8. monet, morbos advertere à prima die oportet, atque ſingulos dierum quaterniones obſervare, ſic enim haud obſcurè ſcies, quo ſe ſit converſurus. Nam febres ardentes Epidemicæ judicantur bono ordine in ſeptem ac decem diebus, annotandum autem eſt, raro ardentes febres in noſtris regionibus obſervari. Huc & referendus §. 20. libr. de prænot. Placidiſſimæ, ait, febres & ſignis ſecuriſſimis innitentes quarto die deſinunt, aut prius; Maligniſſimæ vero & ſignis horrendiſſimis oborientes, quarto die, aut prius. Galenus idem cum Hippocrate ſentit libro de diebus decretoriis, in quo principes dies vocavit ſeptimum, decimum quartum, & vigeſimum primum, & plures ſanari in iisdem quam mori ſtatuit. Acutas igitur & continuas febres in ſalutem terminari ſeptenis & ſemi-ſeptenis diebus veteres dixerunt. Experientia interim docuit, quod etiam extra dies ſeptenos criſes contingant, idque inprimis in ruſticis,

& illis

& illis qui ſimplici victu potius, quam prava diæta utuntur, nec fortioribus animi commotionibus obnoxii ſunt. Huc referri debent verba ſequentia: Ill Dn. de Svvieten Com̃. in Aph. Bœrh. 590. Aliquando ipſo ſummo morbi vigore criſes fiunt, per quas omne illud, quod vel morbi cauſa fuerat, vel per morbum ipſum ſic mutatum erat, ut ſanitatis legibus repugnaret, ſubitis evacuationibus expellitur de corpore: unde tunc nihil in corpore ſupereſt, quod morbum fovere poſſit; adeoque ſola tantum manet debilitas à morbo prægreſſo. Ii jam provocatorii ſeu intercalares dies dicuntur, in quibus vel ob nequitiam, vel adacutum humorum motum criſes quidem eveniunt, ſed præmaturæ; annumeramus his tertium, quintum, nonum, decimum tertium, decimum nonum. Medicinales ſunt ſextus, octavus, decimus, in quibus plane nihil natura molitur, & Medicus commode ſuccurrere poteſt remediis ægro. Summe igitur neceſſarium eſt examen criſium in acutis febribus, opem quippe ingentem ferunt criſes tam in aliis quam modo dictis morbis acutis: Expectari autem debent, interim tamen ægro neceſſariis nihilominus ſuccurrendum: Hoc nimirum intervallo, uti modo dictum, Medicus adjuvare debet ægrum tam per lenia purgantia, quam per ſudorifera, denique per analeptica magis vel minus ſpirituoſa, quæ Medici judicio & circumſpectioni relinquuntur; Vomitoria in ejusmodi caſibus non adeo tuta ſunt, cum neſciat Medicus, an deſideratum præſtent effectum, tam ob ægri, quam ob morbi conditionem. In omni Criſi diſtingui debent motus, qui ab uſu remediorum producuntur, ab illis, qui a natura inſtituuntur, nec per incongrua aut fortiora remedia motus ſalutares turbari debent, quia tunc facile confunduntur motus, & ſic prognoſis incerta & difficilior fieri poteſt. Criſes per diverſas abſolvuntur vias, modo per

urinas, modo per diarrhoëas & vomitus, modo per ſanguinis fluxum, modo per exanthemata varia, abſceſſus, metaſtaſes humorum, modo denique per exſcreationem: Ea criſis quæ per urinæ excretionem evenit, & rara eſt, pulſus remiſſionem producit, tum, quum conſtrictus eſt, ſed eo ipſo celerior poſtea fit. Si per ſudores criſis determinetur, tum obſervatur magnus pulſus, frequens, ſed æqualis, qui in fine mollis evadit; Dicuntur igitur critici ſudores ii, qui decretorio quodam die in acutis eveniunt, & febrim in totum ſolvunt, ſymptomatici, qui regulariter funeſtum prænunciant eventum morbi, ſicque nullum afferunt levamen Cel. Bagliv. lib. I, Prax. Med. ſudores, ait, boni, ſi morbo progrediente fiant; Non ita ſi in principio, ſunt enim judicatoria, non judicantia. Neque unquam initio criſin per ſudores molitur natura, ſiquidem tunc multitudinem indicant, fiuntque natura coacta, ſuntque ſymptomatici; Boni ſi levent morbum die critico. Coctionis jam cognitio & criſeos ideo momentoſa eſt, quia præſagium juſtum & debitum in morbis fit, acquiritur vero ea cognitione functionis vitalis, id eſt pulſus & reſpirationis. Apte quoque de criſibus per ſudorem Hipp. Sect. IV. aph. 36. Sudores, ait, febricitanti, ſi inceperint, boni, ſunt tertia die & quinta & ſeptima & nona & undecima & decima quarta, nec non decima ſeptima & vigeſima prima, porro vigeſima ſeptima & trigeſima prima & trigeſima quarta, hi enim ſudores morbos judicant, qui vero non ſic fiunt, dolorem ſignificant, & longitudinem morbi & recidivas; Et Galenus de diebus decretoriis, qui ſudores, inquit, manant diebus indicantibus non criticis, laborem ſignificant & diuturnitatem morbi, nam judicatoria non judicantia, aut ſunt funeſta, aut certe ſiniſtri judicii. Si jam ſudores largius profluant in principio morbi, & die critico parcius, funeſtus frequenter obſervatur eventus, ſi in-

ſi inprimis conjuncta ſint exanthemata. Dantur vero ſudores à principio morbi durantes ad criticum usque diem cum funeſto pariter eventu. Sudores quoque, teſte Hipp. in Prognoſt. propter Phlegmones vehementiam exprimuntur, dum nempe in morbis acutis liquidiſſima ſanguinis pars ſic exprimitur: adeoque reliquum inſpiſſatur peſſimo cum effectu. Nullus autem dies in continuis & acutis febribus magis fatalis fit, quam nonus & undecimus, quamquam & reliquos dies exitiales non excludamus. Criſis porro, quæ per vomitus & dejectiones alvinas ſeſe manifeſtat, pulſum magnum & frequentem, poſtea concentratum, & parvum efficit, vomitum præcedunt nauſea, horripilationes, cephalalgiæ, vertigines, præcordiorum anguſtatio & cardialgici dolores, frigus extremorum, urinæ cruditas ac pelluciditas, alvi conſtipatio: Diarrhoëas imminuta urina cum imperfecta coctione, flatulentiæ, imminuta ſanctoriana perſpiratio, vagantes in abdomine dolores nec non in lumbis, horripilationes, membrorum torpor, ſi die critico oriatur, bonum notat eventum. Quando criſis per hæmorrhagiam quandam formatur, tunc pulſus parvus ac lentus evadit, cum antea frequens & vividus eſſet, narium hæmorrhagiam præcedunt inſomnia, æſtus, ſitis, virium proſtratio, iminuta perſpiratio ſanctoriana, frigus extremorum, conſtipatio, largior lotii excretio, tenſiones abdominis ſpaſticæ, flatulentiæ, pectoris oppreſſio, reſpirationis negotium impeditum, inprimis in iis, qui infirmitate pulmonum laborant, vel anguſtum pectus habent à nativa diſpoſitione, capitis denique incommoda varia rubor faciei inflatio vaſorum, & aurium tinnitus. Menſes & hæmorrhoides critice excernuntur in ſynochis & inflammatoriis febribus, præcedunt vero hæmorrhoidum fluxum, pruritus in ano, interdum ſenſus carbonis candentis, tenſio in lumbis ad os

 usque

usque ſacrum excurrens ; Menſes præcedunt horripilationes imminuta urina nec ſatis cocta, alvi perturbatio, tenſiones in abdomine in interdum inflationes magis minusve dolorificæ, palpitationes, æſtus, phlogoſes ; rara interim exempla ejusmodi criſium exiſtunt. Si hæmorrhagia eo usque procedat, ut æger in del quium incidat, pulſus in totum deficit per aliquot minuta, poſtea vires reaſſumit, & illo in caſu experiuntur fere ſemper commotIonem febrilem. Apte autem de hæmorrhagiis criticis Hipp. Lib. I. Epid. in febribus, ait, ardentibus populariter graſſantibus, quibus bene ac largiter ſanguis per nares erupit, per hoc maxime ſervabantur, & nullum novi qui in hac conſtitutione mortuus eſſet, ſi ſanguis recte profluxiſſet. In Philiſco enim, Epaminone ac Sileno, quarta ac quinta die parum de naribus ſtillavit, & moriebantur. Sanguis autem plurimus erupit maxime adoleſcentibus & in vigore conſtitutis, & talium plerique perierunt, quibus ſanguis non erupit. Senioribus vero ad morbum regium res devenit, aut alvi ipſis perturbatæ ſunt, aut dyſenterici facti ſunt. Quod morbos pectoris attinet v. gr. pleurithidem, peri pnevmoniam cum febre ardente & oppreſſione, tunc interdum largiſſima inſequitur exſcreatio ; Hiſce igitur in caſibus pulſus fortis & frequens eſt, poſtea debilis, parvus & languidus ; Quovis momento mutat faciem, quæ mutatio peſſimi ominis eſt, inprimis ſi motum reſpirationis ſequatur. Criſeos ſubjecta ſunt homines alacres, imo præcipites, ætate juniores utriusque ſexus, pueros vero & infantes Hippocrates excludit. Pulſus languidus & mollis ſic ut vix ſentiri queat, tamen non omni tempore lethale denotat ſignum, hoc quippe in caſu ſæpe pulſus imminuitur ſine funeſto eventu ; è contra æqualis pulſus in ipſa criſi non ſemper certo felicem declarat mutationem, interdum brevi tempore bona ſpes durat, & debilitas pulſus mox inſequens cum intermiſſione mutatam declarat faciem, quæ eo magis attendi debent, cum talis pulſus mortis imminentis ordinarinm ſit indicium, ſi inſuper accedant ſingultus, ſudores viſcidi & frigidi, abdominis inflatio & tenſio fortior. Æquinoctia & Solſtitia, per conſtantem experientiam, mutationes microcoſmicis inferunt motibus, quicquid alii quoque oggavniant, in febribus nimirum criſes facilius circa æſtivum præprimis ſolſtitium evenire & aliorum obſervationes produnt, & noſtra experientia edocti ſumus ; Pha-

ſes

ſ:s Lunæ, potiſſimum novi- & pleni Lunium, imo & Sol vim non exiguam in mutandis morbis exſerunt, ſatis apte nimirum de hoc influxu loquitur Cel. D. D. Krazenſtein tract. de diabete. Dantur porro morbi, qui certis menſibus criticè ſolvuntur, alii vero certis ætatum periodis, uti chronici, alii per alios morbos, uti v. gr. morbi acuti, ſi poſt 40. dies in chronicos degenerent. In chronicis autem multum variat prognoſis, prout affectus eſt vel habitualis, vel accidentalis, habitualis enim difficilioris eſt curationis, huc ſpectat adultorum epilepſia ſub prognoſtico Hipp. aph. 28. Sect. III. & aph. VII. Sect. V. Dantur vero ulterius, teſte Cel. Sydenh. Sect. V. cap. 2. quædam febrium ſpecies, quas natura methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo ſcilicet in ſanguinis maſſam, illique aſſimilando materiam illam morbificam, quæ cum eo minus quadrabat. (a) De Annis climactericis nihil tuto ratione criſeos dici poteſt, ob defectum accuratarum obſervationum. Non omnes morbi propriè ſic dictas criſes, & ad certum diem adſtrictas habent. Neque porro Ideo citior ſolutio morbi critica dici debet, quia acutior morbus exiſtit, experientia enim monſtrat, tardiorem quoque fieri ſolutionem criticam in acutioribus morbis. Cum criſes momentoſæ ſemper exiſtant, tum Medicus attente conſiderare debet ſtatum præſentem

(a) Quod attinet recidivas, memorabile eſt exemplum apud Hipp. occurrens Epid. L. III. ita ſonans: Periculoſa & acuta febre decumbebat homo, & terrifica aderant ſymptomata: Dejectiones lividæ ſpumoſæ, urinæ ſedimentum lividum, vigiliæ, deliria. Nono die riguit, ſudavit, ſed manſit delirium, & plurima mala ſymptomata. Undecimo die mente conſtabat, ſudavit, febre liber; Sed addit Hippocrates quod urinæ circa judicationem tenues eſſent, quas ſemper in acutis morbis damnavit; Unde recidivæ periculum erat, quæ etiam decima quarta die ſecuta fuit: Febris enim, à qua per duos dies liber fuerat, rediit cum vigilia & delirio. Decimo ſeptimo die per univerſum corpus ſudavit cum levamine & magis intellexit; Verum manſit adhuc febris, & urinæ tenues non bene coloratæ: Vigeſimo die iterum ſudavit ſine febre fuit, ſed urinæ adhuc tenues; Tandem quadrageſimo die dejecit pituitoſa, alba copioſa: Per univerſum corpus copioſe ſudavit, & perfecte judicatus fuit. Ex hiſce igitur patet, non una vice morbum vinci poſſe interdum, ſed in corpore reſtitans, iterato certamine expelli, uti haudita pridem, in ægro, acuta febre decumbente, experti ſumus.

præſentem ægri, ſi criſes ſeſe manifeſtent, eo attentionem dirigere debet, ut eosdem ſecundet conformiter indicationibus, nimirum eo anniti debet, ut vires ægri, quantum poſſibile, conſerventur, eum potiſſimum in finem, ut talis æger magis reſiſtere queat motibus criticis, iisque fortioribus tamdiu, quamdiu obſervantur & durant; Ideo cordialia, analeptica optima ſunt remedia ad aſſequendum finem propoſitum; cautelæ autem accedere debent, namque ſæpe ſolidæ partes mirum in modum tenſæ ſunt, & humores in eccentrico motu conſtituti, ſic ut poſitis hiſce, criſes propriedictæ, id eſt maturæ ſolutiones nequeant obtineri: Circumſpecte igitur cordialibus agendum eſt, & ſi cordialia ſpirituoſa ſint, plane omitti debent, vel uſus eorum ſuſpendi, accidentium quippe vehementiam ab hiſce augeri poſſe, quivis ſanus perſpicere poterit Medicus. Recurrendum igitur in ejusmodi caſibus ad Julepos & decocta, quibus & fluiditas humorum conſervatur, & tenſio ſolidarum partium imminuitur; Dantur vero qui criſes per ſedantia tractant v. gr. opiata, hoc autem modo impediunt ſolutionem criticam, hinc recte Galenus ejusmodi Medicos hoſtes declarat naturæ & ægrorum. Egregie itaque Ægineta L. II. Sudores, ait, criticos ſinere oportet usque ad ſufficientem evacuationem & juvare calore mediocri & quiete; Sic ut nec abſtergatur ſudor, alius enim alium ducit: & calido clyſtere & ſorbitione & ſomno. Interdum Medicus optime curam habet ægri, deficiente ægro ratione regiminis, accurate igitur Medicus determinare debet regimen, ne ullo modo criticæ ſolutiones turbentur. (b) Denique annotandum judicioſe, more ſolito, Illuſtr. Frid. Hoffmannum cap. de Criſ. monere, propriam experientiam in criſibus optimum eſſe ducem, non neglectis interim aliorum obſervationibus. Alii quoque non inepte monent normam exactam dari non poſſe ob differentiam climatis & aliarum determinationum individualium. Difficile igitur in hiſce caſibus eſſe judicium omnes ii agnoſcent, qui diu jam in hoc deſudarunt ſtudio.

TANTUM!

(b) Ill. Dn. van Swieten cap. de morb. intern. ad ſtantes ait, quoque moneri debent, ut mandata Medici exſequantur, inprimis ut nec paſſiones animi moveant, nec ſomnum, nec nimis calido regimine motus naturæ turbent.

12

TENTAMINA SEMIOTICÆ EXHIBENTIA METHODUM

I.

CAUTE DIJUDICANDI SUDORES IN MORBIS,

II.

VOMITUS & DIARRHOEAS,

III.

SALIVAM & SPUTUM,

IV.

PULSUM,

ET V.

SANGUINEM.

Pars II.

TUBINGÆ,
Literis BAUHOFII atque FRANCKII.

De Methodo cautè dijudicandi ſudores in morbis.

SUbtilior illa ſeri portio, quæ ſub forma vel vaporoſa vel aquea ex corporis peripheria per cutim excernitur, vocatur ſudor; Hic autem ſudor tam ad cognoſcendos quam ad dijudicandos morbos non leve importat momentum. Veteres magis ſudorem quam urinam in morbis obſervarunt, hanc potiſſimum ob rationem, quod ſit omnium corporis humorum index, nec ineptè; Equidem aqueæ tenuiores & maximè ſulphureæ partes per rete illud mirabile, cutim, ſub forma vaporis vel madoris expelluntur, è contra per ſubſtantiam renum copia aquearum craſſiorum partium & recrementitiarum, nec non ſalinarum varii generis excernitur. Duplici autem modo hæc cuticularis excretio conſideratur, vel ut perſpiratio, quæ halituum ex corpore per cutim eſt difflatio

inſenſibilis, dicta ſanctoriana perſpiratio, vel ut ſudor; Prior maximam corpori affert ſalubritatem, uti hoc ipſum prolixius deduximus in Diſſ. noſtra de ſalub. Aer. moder. cal. & ſic. in microcoſ. influ. Poſterior corpora debiliora reddit, ſi aliquandiu duret. Principium jam ſulphureum ſeſe declarat odore, eſt enim vel magis gratus, pro ratione ingeſtorum, vel ingratus, pro ratione morborum, ut & ingeſtorum, nimirum ſeſe diſtinguit in purpura, in malo Venereo, in variolis, in morbillis, immo in aliis cutis fœditatibus. Color flavus declarat oleoſum ſulphureum principium; Vario tamen modo ſudoris color ſeſe habere poteſt, vel enim eſt viridis, vel niger, vel miniatus ſub axillis, vel cœruleus, vel rubicundus, vel luteus, uti Acta Haffnienſia & Nat. Curioſ. clarè produnt. Ratione autem partis differt ſudor, ex qua nimirum prodit, inprimis quoad copiam, quippe largius prorumpit ſub axillis, in capite & pectore, quam in extremitatibus ſuperioribus æque ac inferioribus, quibus ex cauſis vero augeatur ſudor & præternaturalis fiat, ex ante dictis intelligi poteſt, uti enim ad naturalem ſudorem tam agitatio partium ſulphurearum, (quæ ſeri ſubtiliorem portionem vel ſub forma vaporoſa, vel aquea reſolvit,) quam bona diſpoſitio ductuum cutaneorum requiritur; Ita à Temperamentis calidioribus, cholericis, ab ætate Juvenili, ab æſtate, à motu corporis valido, ab auſtrali calido aëre, à vino generoſo, à ſpiritu vini, à radicibus calidis, diureticis, volatilibus & fixis ſudor provocatur. Quo magis autem talis diaphoreſis evenit, eo magis tubuli & pori certo modò diſpoſiti ſunt, conſiſtit vero hæc ipſa diſpoſitio in juſta relaxatione, qua ſeri illa portio ſubtilior absque impedimento effertur. Cutim poſſe conſtringi, frigus indicat, poſſe ècontra relaxari

xari declarat calor: Conſtricta cute in frigore nullus prodit ſudor, relaxata cute largus ſequitur, dum una excretio alteram imminuit, ita urinæ ſuppreſſio in febribus imminentem criſin oſtendit, namque ſudoris & urinæ materia eſt eadem: Hipp. in Præn. ille, ait, ſudor bonus, qui circa dies criticos excernitur, uti in parte prima Tent. Semiot. prolixius hoſce explicavimus ſudores. Noſtra equidem experientia edocti ſumus verè Illuſtr. Frid. Hoffmannum Cap. de Jud. ex excret. dixiſſe, illos ſudores ſalutiferos eſſe, quando pulſus præter naturam celer, vehemens vel durus in molliorem & ſedatiorem tranſit. Compendioſe autem ſudores boni æque ac mali ominis Hipp. deſcribit Coac. 572. dum, ſudor, ait, optimus ſane, qui febrim die judicatorio tollit, utilis autem qui allevat, malus vero frigidus & ubi caput duntaxat & cervix inſudat, nam & temporis diuturnitatem & periculum denunciat. Nos quoque in purpura alba non ſemel obſervavimus ſudores vel in collo, vel in pectore ſolo erumpentes ſymptomatum exacerbationem & graviores oppreſſiones poſt ſe traxiſſe: Vidimus vero fœminam febre acuta decumbentem, quæ, licet à nativa diſpoſitione in ſiniſtro latere totius corporis ſudare non potuerit, nihilominus per ſudores dextri lateris largiores brevi reſtituta fuit. Frequenti porro experientia edocti ſumus, rariſſime in principio acuti morbi, id eſt, eo tempore morbi, quo nullum adhuc manifeſtum coctionis indicium apparet, criticum ſudorem contingere, ceu effectum triumphantis naturæ, ſed potius imminuto impetu morbi: Symptomaticos eos obſervavimus ſudores, qui primis acutæ febris diebus ſine præparatione materiæ morbificæ, & absque coctionis ſignis prodierunt. Dum

autem in initio morbi largius ſudores manant, eo ipſo neceſſaria humidi portio deperditur, ſanguis igitur humido orbatus, per vaſcula capillaria non tranſit, ſed potius ibidem detinetur, exinde tandem ſtaſes, obſtructiones, & fatales inflammationes producuntur. Qua ratione nullus ſudor, vel largus, vel nimius fiat, ex ante dictis intelligi poteſt, equidem ſudor nullus obſervatur tam in horrore febrili, quam in contractionibus ſpaſticis, quia pori & tubuli cutanei conſtricti ſunt; Non ſola tamen cauſa ſuppreſſi ſudoris ſpasmus dici debet, frequenter enim arctior ſanguinis compages & viſciditas ſeri producunt ſuppreſſionem; Nullus porro ſudor in aliis quibusdam excretionibus largis apparet, dum id, quod huic accedit, alteri decedit, ſi vero relaxati ſint tubuli illi, & partes mobiliores ſulphureæ agitatæ in humidum agant, oritur ſudor. Aptè autem Riverius Lib. III. Inſt. Med. qui, ait, ægroti, carne molli & cute laxa ſunt præditi, ſive illa habitus laxitas & mollities à nativa diſpoſitione ſit, ſive à cœli conſtitutione, maxime confert ad criſin per ſudores efficiendam; Monendum autem eſt relaxationem cutis interdum ſecretionem ſudoris impedire, ob ſanguinis diſpoſitionem peculiarem, non ſolum ratione conſiſtentiæ, craſſitiei, ac tenuitatis, ſed mixtionis ſeroſæ purpureæ partis, immo fuſionis, quæ interdum illi accidens, ſudoris cauſa eſt, uti hoc contingit in hecticorum ſudoribus nocturnis. Obſervationes jam produnt in alba inprimis purpura cum febre ſequi profuſionem ſudoris, miaſma enim illud purpuraceum partes ſeroſas ſubtiliores ad ſeceſſum diſponit. Vidimus quoque ægram purpura alba laborantem, quæ largiſsime ad diem usque criticum ſudavit, ſed imminuto ſudore, & purpura non rite prorumpente, tandem ſuccubuit.

Morbi

Morbi porro maligni, ſi ſphacelatio interna adſit, fœtidos, immo frigidos ſudores interdum ſecum habent, eoque ipſo tragicum prænunciant eventum, namque imminentem humorum putredinem ſignificant, quæ mox naturalem corporis œconomiam evertit. Hectici pariter ſudores, ubi febris lenta adjuncta, peſſimi ſunt ominis & regulariter fiunt ſymptomatici. Exitiales pariter exiſtunt tam ſudor Anglicus, quam ille Pariſinus deleterius, ante plures annos notus, hi quippe ſudores ſymptomatici quoque omni jure dicendi ſunt; Sudores in cervice aut capite, in forma granorum milii apparentes à defectu virium deducit Riverius Cap. de Morb. Sign. Variæ autem requiruntur cautelæ ad curam ſudorum in febribus æque ac in aliis affectibus inſtituendam. Equidem non uno impetu nimii compeſcendi ſunt ſudores, ne graviora & urgentia inde enaſcantur ſymptomata. Deficientes pariter ſudores, bezoardicis, vel calidioribus expellentibus intempeſtive proliciendi non ſunt, quia interdum materia morbifica nondum præparata eſt ad eliminationem, ſicque ad πεψιν & πεπασμον reſpiciendum eſt. Interdum ſudores ita comparati ſunt, ut non niſi prudenter tolerandi ſint, usque dum opportunum admittant curationis tempus: Alii blande promovendi, ne morbum exacerbent, vel protrahant; Non nulli ita diſponendi ſunt, ut & alia ſalutaris excretio eodem tempore obtineatur. Probe autem annotandum eſt, individualem conſtitutionem ſubjectorum attendi debere, quippe conſtat, ob peculiarem pororum & tubulorum cutis diſpoſitionem, nec non ob diſcraſiam maſſæ humorum quosdam ægre ſudare, hiſce igitur in caſibus Medicus non fortioribus pellentibus in cedere, ſed diſpoſitioni individuali accommodata præſcribere debet remedia. Alias ſudor multus

ut

ut debilitans cenſetur, ſed datur multus criticus; datur autem rarus, ſed ſalutaris nihilominus evadit, ſuſpenſa igitur manu ſudores tractandos eſſe prudens agnoſcet Medicus.

De Methodo caute dijudicandi Vomitus & Diarrhoëas in morbis.

UTi extra morbos Vomitus affligunt, ita frequenter morbis conjuncti ſunt, hinc & de illis in ſemiotica noſtra tractatione prolixius dicemus; Plurimi autores Vomitum dicunt inverſum periſtalticum Ventriculi motum, ortum à valida orificii dextri conſtrictione, nec non duodeni inteſtini, hujusque conſtrictionis cauſam ab acri volatili irritante humore, ut & à ſpasmo in remotis partibus exiſtente v. gr. calculis deducunt: Diſtinguendum interim eſt inter inverſum motum fibrarum Ventriculi, & inter inverſum periſtalticum motum, equidem ad Vomitum neceſſaria eſt contractio ſpaſtica fibrarum, eaque ipſo motu periſtaltico validior, poſito autem non conceſſo eſſe in vomitu inverſum periſtalticum ventriculi motum, nunquam tamen excretionem materiæ per os producere poterit, etenim ex Phyſiologicis conſtat plane motum periſtalticum placidum eſſe; non ſolum autem dextrum orificium, ſed & ſiniſtrum conſtringi debet ſub vomitu, accedunt abdominalium muſculorum & Diaphragmatis fortiores contractiones; Igitur ea ventriculi commotio, ex probratio dicta, qua pars quædam contentorum ventriculi ſine nauſea in fauces quibusdam aſcendit, & absque vehementia, potiſſimum repleto cibo vel potu ventriculo, vomitus proprie dici non debet, de ruminantibus hominibus Peyerus in tract.

de

de rumin. L. I. exempla allegat; Concludit igitur Ill. Dn. van Svvieten Comm. Tom. II. §. 52. ſequentem in modum: Levior vomitus vel ex probratio potius ventriculi levior fieri poteſt à convulſis ventriculi fibris, validus verò & propriè ſic vocatus vomitus requirit diaphragmatis & muſculorum abdominalium convulſionem, & omnia hæc confirmantur illis phænomenis, quæ in vomentibus hominibus apparent. Vomitus jam generatim diſtinguitur vel in laborioſum vel expeditum, vel inanem, vel nimium, vel ſpontaneum; Spontaneus varius eſt, vel criticus, vel ſolvens, vel levans, vel turbans, vel ſymptomaticus in acutarum principio, ubi nondum ſatis præparata eſt materia, vel aliis ſupervenit morbis, uti in Nephritide, tuſſi, vulneribus capitis; ſunt porro vel vagi vel periodici, qui certo tempore redeunt. Dividitur ſecundo loco in Vomitum artificialem ope emeticorum productum, qui vel cito vel tarde deſinit; Hæc quoad vomitum. Datur jam vomitus vel ſeroſus, vel pituitoſus, vel bilioſus, vel ſanguineus, copia vero materiæ, vomitu ejectæ, diverſa eſt, pro ſubjectorum, cauſarum, & morborum varietate, eſtque vel parva, vel mediocris vel ingens. Hiſce quoque accedit conſideratio, coloris, qui color pro qualitate dictarum modo materiarum variat, quemadmodum & odor, interdum enim materiæ ſpirant acidum, interdum putredinem. Quoad conſiſtentiam materiæ ſunt vel craſſæ, vel tenues, vel grumoſæ, vel glutinoſæ. Igitur ſalutaris iſte evadit vomitus, qui debito tempore materiam peccantem ex corpore eliminat, absque ſub ſequente corporis moleſtia; Hinc Ill. Frid. Hoffmannus Syſt. Med. Rat. Path. Tom. III. ſingulari ait, beneficio tribuendum, ſi ſtomachus à copia ingeſtorum præſertim in congruorum vel crudorum

 & ſe-

& ſemi-coctorum ciborum ſarcina oppletus, vomitu citò citius eam depleat, quod certe apprime pro ſanitate eſt, quippe ubi moles illa relicta ſtomachum aggravat, protinus ructus, flatus, borborygmi, hypochondriorum dolores, ſanguinis ebullitiones cum pulſu magno & celeri ſomnique defectu accedunt. Hinc & de lactantibus puſillis pervulgatæ opinioni non ſine ratione creditur, quod in crebriori vomitu magnum ad ſanitatem eorum momentum ſit repoſitum. Illi jam qui infirmitate pectoris, capitis, ventriculi, inteſtinorum laborant, nec non fœminæ quæ lypothimias familiares, uteri procidentias vel inteſtinorum, difficultatem vomendi naturalem, viriumque dejectiones experiuntur, immo ſyſtematis nervoſi teneritudinem habent, vomitus non æque bene ferunt, quamquam & hoc ipſum pro regula eſſe nequeat. Uti nihil paucum criticum, ita & ratione vomitus dici debet, pauca materia per vomitum ejecta critica vix haberi poteſt. Vomitus cruentus raro criticus eſt, licet materia ejiciatur grumoſa & putrida, namque ut plurimum, teſte experientia, ſymptomaticus evadit, natura enim per viam incongruam hic eliminat ſanguinem: Huc quoque referri debent vomitus matutini hæmorrhoidales periodici. Vomitus porro ſunt vel Idiopathici, ubi cauſa in primis viis hæret, vel ſympathici, qui ex conſenſu oriuntur, hinc plures Medici per renum calculos & veſiculæ felleæ decepti fuerunt, hi enim enormes & dolorificos excitant vomitus, qui calculi, ſi à Medico non cognoſcantur, fatalem producunt cataſtrophen: Compendioſe de vomitu ait Cel. Bœrh. Aph. de Morb. cogn. Vomitus vitio ſtomachi convulſivi, inflammati, ſuppurantis, ſcirrhoſi, cartilaginoſi, accedente febre aucta aliquando accidit: porro vitio viſcerum & circumjacen-

jacentium partium, ſimiliter affectorum; diſtento per ingeſta ſtomacho irritatorum, idem toties incognita cauſa pertinaciſſimus, accedente febre, vitio denique omnis cauſæ majoris nauſeæ: Si permaneat, producit atrophiam, ileum, convulſiones, debilitatem, acrimoniam alcalinam putridam, ſiccantem. Tandem minime critici habendi ſunt illi vomitus, qui in cholera prodeunt, tum enim, vi obſervationum, ille æger in ancipiti verſatur, quum fortiores dolores & torſiones cholerico conjunguntur morbo, humores præſertim virides violentius excernuntur, clangoſa adeſt ſitis cumpulſu parvo & facie pallida vel flaveſcente, etenim acutiſſime hic ipſe morbus decurrit, hinc raro in ſalutem ægri vergit. Dantur ſubjecta, quæ citra omnem errorem diætæ quotidie vomunt, hæc facile in hecticam incidere poſſunt, dantur autem quæ ob de pravatam diætam quotidie vomitus experiuntur absque noxa, huc & referri debent vomitus gravidarum.

Quamquam excretio alvina inter craſſiores referatur excretiones; Attamen non leve importat momentum illius integritas; Equidem partes craſſiores & recrementitiæ à chylo ſeparatæ, nec non craſſiores bilis partes, immo ſucci pancreatici & liquidi glandularum inteſtinalium & ventriculi per alvum ejiciuntur, ideo quia illaudabiles ſunt, & ad nutritionem corporis ineptæ; Non negandum interim à ſuppreſſa hac excretione alvina non ſtatim corpori notabile damnum afferri, uti à reliquis excretionibus fit, attamen cum non ſolum, ſalva illa, corpus magis vigeat, & alii quoque morbi ab ea felicius curari & tolli queant, hinc & hæc excretio non negligenda, ſed in morbis à Medico probe conſiderari debet, namque inter alia de ſtatu, tam ventriculi, quam inteſtinorum judicium ferre poteſt, quid

autem hæc ipſa cognitio in morbis præſtet, omnes norunt. Criſis jam per diarrhoëam indicatur tam per borborygmos, flatulentias, inflationes, quam per dolores lumborum, & Riverius Inſt. Med. notat majorem fieri conjecturam, ſi toto morbi decurſu alvus valde fuerit libera, aut die indice apparuerit fluidior, quam alio tempore. Quod attinet excrementa in ſe ratione coloris, varia ſunt 1. Excrementa viridia indicant cum bile acidum conjunctum, etenim in infantibus lac ſugentibus varii tum adſunt ſpasmi, id quod & in Hypochondriacis, Hyſtericis, & ſenibus ſæpius obſervatur, namque tales interdum ſpasmos, immo rejectionem materiæ per os experiuntur, evenit id in paſſione cholerica, nec non in fortioribus quoque animi paſſionibus, facile autem poſt ſe trahit deſtructionem toni, immo cacochymiæ morbos. 2. Color excrementorum brunus vel fuſcus indicat copioſam generationem partium billioſarum recrementitiarum in Hepate; Ad talem vero generationem concurrunt omnia calida commoventia, potus ſpirituoſi, aër æſtivus, animi commotiones, inprimis ira, motus fortiores, immo horum morborum ſolutio in febribus bilioſis obſervatur, dum hac via criticè corrupta excernitur materia, indicatur autem ſimul ſtatus aut Hypochondriaco-Melancholicus, aut Hyſtericus aut Cacochymicus. 3. alba excrementa vel gryſea denegatum affluxum bilis ad inteſtina indicant, cauſa autem eſt varia, partim obſtructio ductus hepatici à calculis, vel aliis cauſis ſolidis, partim eſt ſpasmodica tunicarum canales conſtituentium contractio, unde ejusmodi color in cute & urina ſeſe monſtrat, & icterum format, dum ſanguini reaffunditur humor bilioſus. Exceſſus quoque ſuccorum acidorum fit cauſa, hi ſucci latent in inteſtinis, obtundunt bilis

vim

vim balſamicam, & colorem immutant, hinc gryſea vel argillacea fiunt excrementa; Ex diverſitate igitur materiæ in febribus Hipp. in Prognoſt. ſatis multa in prognoſi deduxit: Valde, ait, aquoſum, aut album, aut ex viridi flaveſcens, aut vehementer rubrum, aut ſpumoſum dejicere, mala hæc omnia; Malum quoque eſt exiguum & glutinoſum, & album & ſub pallidum & læve. His autem magis lethalia nigra, aut pinguia, aut livida, aut æruginoſa, aut mali odoris. Obſervationes jam produnt, excrementa ſpumoſa cadaveroſum fœtorem ſpirantia, cum gravioribus inteſtinorum ſpasmis declarare ſphacelum inteſtinorum, uti in dyſenteria & malignis febribus fit. Excrementa mucida teſtantur de alimentis crudis, quæ non rite fuerunt concocta, interdum in hæmorrhoidalibus niſibus obſervavimus mucum cum dolore excretum fuiſſe in ſalutem ægri. Sæpius excrementa apparent ſanguinolenta, & ſincerus excernitur ſanguis, & quidem in copia, uti in ipſo fluxu hæmorrhoidali: Quando vero cum torminibus circa umbilicum ejicitur, tum notat dyſenteriam, & ſic ſymptomaticè potius, quam criticè excernitur ſanguis, ab humore quippe cauſtico, tenuia inteſtinorum vaſa erodente, ortum trahit illa excretio in dyſenteria. Nigro autem colore imbuta excrementa indicant morbum Hippocratis, ſeceſſum nigrum, qui à ſanguine per rupturam vaſorum in tenuibus inteſtinis ſuſcitatus fuit, jungitur huic interdum cruentus vomitus, regulariter vero malum prænunciat eventum. Interdum tamen in fœminis ſuppreſſione menſium laborantibus, inprimis ubi ſanguis grumeſcens, nec non in ſubjectis quibusdam hæmorrhoidibus obnoxiis, non adeo funeſtum præſagiunt exitum ejusmodi diarrhoëæ. Hinc & Cel. Heurn. in comment. ad Aph. 2. Hipp. in mulieribus, ait,

ſæpe aterrima per febres dejici vidi & evomi cum euphoria ſalutari, his enim lien antea in vitio fuerat. Hoc evenit Principi Auraicæ in potenti febre, terrebatur ipſa admodum: juſſimus eam bono animo eſſe. Sæpe autem laudabiles ſucci, ab oſculis vaſculorum lacteorum non ſuſcepti, illos præter labuntur, & per craſſa inteſtina copiosè deſcendunt, hinc fluxus chyloſus oritur, ex quo corpus macilentum evadit, in decrepitis frequenter hic fluxus chyloſus obſervatur. Diarrhoëa chyloſa in lactantibus ab obſtructione vaſorum lacteorum, vel in principio in cruſta villoſa, vel medio itinere in glandulis meſeraicis omnino oriri poteſt, aſt à plenaria obſtructione mors potius quam tympanitis inſequitur, aut atrophia, uti quidam falſo ſtatuunt, rara autem eſt plenaria obſtructio. A defectu autem humidi & roſcidi, vel ab obſtructione, vel à calore interno proficiſcitur induratio excrementorum, quippe quæ inteſtina non ſolum lædunt, ſed alia producunt incommoda; Tonus quoque inteſtinorum labefactatus vario modo, vel conſtrictus, vel remiſſus unica cauſa eſſe poteſt excretionis irregularis, & hinc potiſſimum periſtalticus deſtruitur motus, atque exinde vel frequens dejectio, vel tarda, vel irregularis. Experientia innoteſcit ſpasmodicos ſupremi ventris affectus ſolvi largis diarrhoëis, immo infimi ventris ſpasmos criticè per diarrhoëas tolli poſſe; ſi diarrhoëæ inflammationibus jungantur, periculoſæ habentur, non autem in febribus, iisque benignis intermittentibus; Tunc demum vero exoptatus fit eventus, ſi ſuperflui humores aut morbifica materia per alvum excernantur, ſalvis viribus, ſi contra, funeſtus fit eventus. Bilioſæ febres continuæ, inflammatoriæ, exanthematicæ & intermittentes, ſi diarrhoëæ criticis eveniant diebus, ſolvuntur maxima ex parte,

ſi vero extra dies illos eveniant, mali ominis ſunt, interim diarrhoëa in principio variolarum accedens, interdum ſalutaris obſervatur, ſed exempla hæc ſunt extraordinaria; In gravida equidem circa medium geſtationis tempus menſtruam diarrhoëam ad partus usque tempus durantem ſine funeſto eventu, obſervavimus. Si alvus clauſa in febribus continuis exanthematicis, inflammatoriis, tunc in principio alvum movendam eſſe ajunt Practici, aſt prudentia opus eſt, tutius enim in intermittentibus laxatur alvus. Denique omnis diarrhoëa cautè tractanda eſt, nec nimis cito compeſci debet, ne mala producantur nova, in chronicis utiliſſime alvus iteratis laxatur vicibus, quia frequens in illis adeſt conſtipatio.

De Methodo cautè dijudicandi ſalivam & ſputum in morbis.

MIcrocoſmicum illud menſtruum univerſale, quo omnis generis alimenta & ſolvuntur & extrahuntur, ſaliva Medicis audit, docet autem ſalivæ examen, conſtare eam ex ſubtiliſſimis valde elaſticis, aqueis partibus, & puriſſimo ſale, nec non ſpiritibus animalibus. Per examen jam qualitatis ſalivæ non ſolum negotium digeſtionis primarum viarum inquiri, ſed ob præſentiam ſpirituum animalium eorundem motum quoque detegi poſſe, multi ſtatuunt. Non negandum eſt, in animi affectibus, terrore, ira, furore, rabie, ſpiritus animales ad ſalivam tranſire, ſed tutò & accuratè motus ejusmodi nihil ominus obſervari nequeunt. Noſtra igitur ſententia potiſſimum qualitatem ac temperiem ſanguinis, acrimoniam, vappeſcentiam humorum, gradus cacochymiæ, diſpoſitionem pravam vel laudabilem lymphæ, fluidorum craſſin

ſin in genere, immo & meatuum, parotidum, & glandularum reliquarum vel obſtructionem, vel meabilitatem indicant. Dantur porro qui putant, ſalivam colore albo præditam, ſpumoſam & paucam, eccentricum modo dictorum ſpirituum animalium motum, æſtum quoque ſanguinis & phlogoſes indicare poſſe, equidem ſi reliquæ circumſtantiæ congruant, tum aliquid monſtrare poſſunt, ſed plurimi dantur morbi in quibus ſaliva apparet pauca, ſpumoſa, & nihilominus neque motus ſpirituum animalium eccentrici, nec æſtus, nec phlogoſes conjunguntur. Deprehenditur autem præter omnem morbum in ſubjectis Temperamenti ſiccioris & habitus conſtrictioris, immo & in cholericis ſaliva pauca, ſpumoſa, absque motu irregulari ſpirituum animalium, & ſine calore notabili totius corporis: Præſentem verò ſitim & æſtum denotare ſalivam viſcida indole præditam, plurimi ſtatuunt, quod in ſe negari nequit; Etenim à Phlegmatica diſpoſitione & lentore fluidorum talis oritur tenacitas ſalivæ, probe igitur hic diſtingui debet, adeoque concluſio non procedit, quod præſente viſciditate & tenacitate ſalivæ, præternaturalis incaleſcentia adeſſe debeat, plura adeoque accedere debere ex dictis patet. Saliva abundans, gelatinoſo principio deſtituta, à multis creditur indicare negotium digeſtionis turbatum, cuticularem excretionem imminutam, & ſalium acriorum copiam; Non conſtanter autem hæc obſervari experientia confirmat, etenim laxitas ductuum ſalivalium, colliquatio portionis ſeroſæ, & defectus principii gelatinoſi eodem jure ſupponi poſſunt, & pro re nata ſupponi debent. Salivam plurimi vacuo anthliæ ſubjiciunt, ut nimirum laudabilem vel pravam diſpoſitionem detegere queant, ſed aër, uti omnibus ſuccis noſtri corporis, ita & ſalivæ inter textus eſt, & in

vacuo

vacuo ſub forma bullularum prodit, nihilque certi exſculpi, nec diſpoſitio vel prava vel laudabilis humorum inde colligi, nec ſalia per deſtillationem inquiri poterunt.

Quid ſit ſputum ſatis ſuperque conſtat, contra diſtinguitur nimirum ſalivæ, quæ laudabilibus gaudet partibus, ſputum vero quam maxime excrementitias ſecum vehit partes. Licet vero ſaliva in præter naturali ſtatu quoque afficiatur, tamen ſputum primario conſiderationem meretur, hinc & Ill. Frid. Hoffmannus in Syſt. Med. Rat. Tom. III. conſideratio, ait, & examinatio ſputi in omni ferè morbo ante omnia à Medico fieri debet, non ſecus ac ſanguinis & urinæ. Sputum jam tam colore, odore, ſapore, quam conſiſtentia, figura, mixtura, qualitate, effectu, modo, & matureſcentia, conſideratur. Quod attinet colorem, varius eſſe poteſt, vel albus, vel flavus, vel rufus, vel fuſcus, vel niger; Quoad odorem, aliud exhibet nullum, aliud gravem, aliud vero debilem. Ratione ſaporis, aliud amarum, aliud acre, vel ſalſum, vel inſipidum eſt. Ratione conſiſtentiæ, aliud tenue, aliud aquoſum, aliud ſpumoſum, aliud craſſum, viſcidum, mucoſum, grumoſum. Ratione mixturæ ſputum eſt vel ſincerum, vel è pluribus humoribus conſtans; Ratione quantitatis aliud eſt parvum, aliud mediocre, copioſum aliud. Quoad figuram, aliud planum vel rotundum, vel globoſum. Quoad effectum, ex morbo dolorem vel tuſſim ſedans, vel dolorem & tuſſim augens; Aliud eſt laborioſum, aliud ex ſcreatu facile. Denique quoad matureſcentiam tenuis & crudi in maturum & coctum mutatio, vel in principio, vel in ſtatu morbi eveniens, ſputum jam cruentum ſolicite diſtingui debet à rejectione ſanguinis floridi è pulmonibus per tuſſim, quippe illud ex interiori faucium, narium, & gurgulionis ductu

 prodit,

prodit, & ſcreatu potius quam tuſſi ſuccedit, parcius eſſe ſolet, pituita remixtum & obſcuro ſanguineo colore tinctum. Vera quoque hæmoptyſis diſcerni debet ab illo ſputo cruento, quod parciori in quantitate ex vulneratis aſperæ arteriæ vaſis cum tuſſi ejicitur, ac cum pruritu & ſapore ſalſo jungi ſuevit. Aptè autem Cel. Riverius Inſt. Med. non ab omni, ait, ſanguinis ſputo puris ſputum conſequitur, namque è cerebro & è gingivis & è gutture ſanguis educitur ſine noxa: Immo nec à ſputo ſanguinis, quod in pleurithide & peripnevmonia contingit, puris ſputum neceſſario generatur, ſed de illo tantum ſputo ſanguinis intelligi debet, quod à pulmone procedit, per eroſionem illius partis aut ruptionem alicujus venæ per illius ſubſtantiam diſperſæ; Huic enim ſanguinis ſputo puris ſputum, & tabes, & mors neceſſario ſuccedunt. Hujusmodi autem ſputum, quod in ſputum puris degenerat, à prædictis diſtinguitur, quod in eo ſpumoſus ac floridus valde ſanguis per tuſſim excernatur, quæ conditiones omnes in aliis non reperiuntur. Ea ſputa jam idem Riverius ſalutaria declarat, quæ alba, lævia, æqualia non admodum tenuia vel craſſa, quæve promtè facileque excernuntur, & ſine dolore ullo vehementi aut multa tuſſi. Mala contra Hipp. 2. Prognoſt. ea, ait, quæ dolorem non ſedant. Alba quoque & mere pituitoſa in pleurithide & peripnevmonia in fauſtum prædicere eventum Hipp. 7. Epidem. notavit. Peſſima vero ſputa viſcida & glutinoſa cum raucedine idem Coac. 1. cap. 16. Huc quoque referri debet obſervatio Hipp. in Coac. & Prognoſt. occurrens, quæ ita ſonat: Sputum flavum pauco ſanguine permixtum, in pectoris aut pulmonum inflammationibus, ineunte morbo editum, ſalutare eſt, multumque confert; Septimum vero diem

agenti

agenti aut profectioribus ſecuritatis minus eſt. In pulmonum affectibus celeriter ſputum excerni debet, ſique flavum ſit, lævanter ægri, ſi vero tertio die in laterali maturum fiat, & expectoratio incipiat, morbi ſolutiones fiunt celeriores. Cruditas igitur ſputi ad ſeptimum diem non perſeverare debet; Sed, uti modo annotatum fuit, tertio vel quarto die concoqui & maturari, ſecus morbus protrahitur. Itaque ſiccæ pleurithides ſunt graviſſimæ, plures enim exinde mortuos vidimus; Salutarem vero in inflammatoriis morbis thoracis eſſe ejectionem ſputi non nihil ſanguinei, ſicut ſputum ècontra cum ſtertore ſuppreſſum, funeſtum prænunciare eventum, frequenti experientia edocti ſumus. Vid. elegantiſſ. Exper. Illuſtr. Dn. Bilfingeri Mœcenatis noſtri devenerandi Act. Petropol. P. III. de tranſ. aër. per pulm. in ſang. Sputa multum ſanguinea, recte mala ſtatuuntur; flavum vero ſeptimo die ancipitem morbi indicat eventum, coctum enim tali die deberet eſſe ſputum: Ægrius quoque ſanantur quibus poſt ſuppreſſionem ſputi ſtrepitus multus in pectore. De febribus autem in genere notandum, quod frequentior ſit ſputi defectus, vel ariditas, quam copia vel ſuffuſio oris, ab illo defectu augetur æſtus cum ſiti, copia vero aliquatenus imminuit æſtum æque ac ſitim. Pro diſpoſitione vero naturæ, pro differentia cauſæ & morbi variant ſputa, ex ante dictis autem caracteribus concluſionem formare poſſumus ad ipſum morbi ſtatum. Reliqua Medici relinquenda ſunt judicio ob inſignem differentiam, cauſarum, morborum, Temperamentorum, & circumſtantiarum individualium.

De Methodo cautè dijudicandi pulſum in morbis.

PUlſus Medicis dicitur motus ſeu dilatatio arteriarum extrorſum facta, à Ventriculi cordis ſiniſtri coarctatione & preſſione ſanguinis in eas proveniens; Interim ſi paulo accuratius rem conſiderare velimus, dilatatio ſeu motus arteriæ non ut actio, ſed ceu paſſio reſpici poteſt & debet, circumſpecte igitur incedendum eſſe, ne nimium hiſce tribuamus, patet. Prolixa licet ſit denominatio pulſus Antiquorum æque ac Recentiorum, nihilominus commodè hæc omnia ad compendium reduci poſſunt, talis enim prolixa denominatio majorem effecit obſcuritatem. Nimia ſubtilitas Sinenſium in diſcernendis pulſibus iterum parum lucis huic attulit doctrinæ, uti modo de nimia prolixitate diximus; Cum autem in diagnoſi & prognoſi utiliſſima ſit doctrina de pulſibus, non temere negligi debet, quemadmodum quidam agunt, ſed cum multa nondum abundè ſint exculta, hinc & eo ipſo doctrina hæc explicatione & dilucidatione opus habet. Multi alta clamant voce non ſolum ſanguinis ſpirituaſcentiam, ejusdemque motum progreſſivum & inteſtinum, nec non craſin ſpirituum animalium pulſum indicare; Quis autem eſt qui non perſpiciat? minus tutum eſſe indicem, & ne de unico quidem aliquid determinari poſſe. Differentias jam pulſuum quod attinet, iſte inprimis qui cum vehementia incedit, & digitos tangentis premit, ad auctum progreſſivum ſanguinis motum per thalamos cordis declarare dicitur, eo potiſſimum in caſu ubi & magnitudo adeſt cum plenitudine. Hoc vero in

caſu

caſu paſſio quidem eſt in canalibus arterioſis ſeu expanſio, quæ facta fuit ab irruente cruore, inſimul quoque magna cordis obſervatur oppreſſio, aſt motus progreſſivi intenſionem majorem declarare vix poterit, nullo quippe ſolido fundamento majorem motus progreſſivi intenſionem ex impetuoſitate vel pulſus vehementia deduci poſſe, patet. In homine qui tranquilla gaudet mente, quique optime valet, æquales ſunt arteriarum dilatationes & conſtrictiones, tam ratione pulſuum, quam ratione intervalli, quod eosdem intercedit; omnes autem Medici ſciunt, ordinem hunc ſæpiſſime variare, equidem ordinario infantum pulſus obſervatur frequens, celer, & moderatè elevatus; Imminuitur autem hæc ipſa pulſuum frequentia progreſſu annorum, & ejusmodi pulſus mutatur in majorem & fortiorem. Accedente ſenectute debilis & languidus evadit; Facile autem patet cauſam variationum harum ab alterationibus pendere, quas ſanguis omni ſuſtinet ætate; & inſimul à diſpoſitione diverſa organorum, per quæ movetur. In juventute imprimis ſanguis magis balſamica gaudet virtute, quam in ætate virili vel ſenili, majorem quoque fluiditatis gradum poſſidet, ac in ætate adulta, eoque ipſo motum progreſſivum felicius abſolvit per univerſum corpus, cæterum majorem quoque exerunt flexilitatem ſolidæ partes, agiliores exiſtunt ſpiritus animales, ex hiſce omnibus oriuntur frequentiores cordis contractiones, nec non major celeritatis gradus pulſui communicatur. In adulta ætate cordis ſoliditas creſcit, & fluxilitas imminuitur; Facile adeoque ex hiſce apparet cordis contractiones in ejusmodi ætate non adeo frequentes eſſe, ſed cor majorem roboris gradum poſſidere. Quid tandem de ſenectute dicemus? Etenim obſervatur ſpiſſitudo ſanguinis,

guinis, quæ indies augetur, interdum vero ſanguis funditur; Cauſa hujus eſt diminutio virium in fibris motricibus cordis, & minor gradus elaſticitatis in arteriarum tunicis, facillime igitur pulſus languidus & debilis exinde oritur, immo interdum quoque intermittens & inæqualis. Hæc omnia vero præternaturalem conſtitutionem non indicant, excipimus enim accidentia concomitantia debilitatem, interdum à ſenectute inductam. Itaque pro ratione climatis, individualis conſtitutionis, variarum paſſionum,& anni temporis, variat pulſus. Hie mali tempore, dum aër à frigore condenſatur, parvus eſt pulſus, & arteriæ minorem habent expanſionem; Econtra æſtivo tempore frequentia pulſus cum intenſione obſervatur, dum aër calidus intumeſcentiam quandam in ſanguine producit. Diximus porro ratione Temperamentorum pulſum variare; Equidem debilis & mollis regulariter in Phlegmaticis exiſtit; In Melancholicis inæqualis eſt pulſus, in Cholericis & Sanguineis vaſa naturaliter ſunt tenſa & turgida, & pulſus obſervatur durior. Quies corporis pulſum diminuit, è contra exercitium aliquatenus violentum intenſiorem eundem reddit, immo Cel. Gordons affirmat, ope electricitatis pulſum notabili modo accelerari. Animi pathemata notabiles pulſui inducunt mutationes, ordinario in triſtitia pulſus debilis & languidus, in animi lætitia æqualis ad aductus & plenus obſervatur; In affectu iræ, amoris, timoris, immo & in deſperatione irregularis, vix vero momentum afferunt hæ variationes pulſus, majoris vero conſiderationis ſunt mutationes pulſus in quibusdam morbis obvenientes, quippe diverſæ alterationes in diebus criticis morborum obſervantur, quas Cap. de Criſibus indicavimus. Quod nunc attinet febres,

pulſus

pulſus maximopere differt à pulſu in ſtatu naturali, nimirum in quam plurimis febribus frequentior, major, & durior, & intenſior; In malignis è contra febribus concentratus, languidus & parvus obſervatur, uti quidem inde teſtantur variolæ, morbilli, & exacerbationes febrium, ex hisce vero ad ſtatum febrilem non ſtatim concludendum eſt, calor enim & ſiccitas talem diſpoſitionem febrilem eodem tempore indicare debent; Datur pulſus frequentia, & vivacitas poſt digeſtionem, ſed nec calor præternaturalis in cute adeſt, nec ſiccitas, in affectibus aſthmaticis, in peripnevmonia ſæpe pulſus debilis & impeditus obſervatur; ſi aſthma convulſivum & polypoſa concretio in thalamis cordis adſit, tum languidus & intermittens ut plurimum exiſtit. In hemicrania, in debilitatibus, parvus & contractus eſt, nec non in ſyncope, in reſolutione nervorum à cauſa ſeroſa, mollis & languidus, in ea autem quæ à ſanguinea oritur cauſa regulariter plenus eſt & durus, in aſphyxia per aliquod temporis momentum plane non ſentitur. Intermittens & debilis in cordis palpiatione exiſtit, eo potiſſimum in caſu, ubi concretio polypoſa adeſt. Intermittens quoque pulſus & inæqualis tam demum obſervatur, quum heterogeneæ copioſæ particulæ ſanguini inſunt, & præternaturalis organorum, progreſſui ſanguinis deſtinatorum, adeſt diſpoſitio; a podagra retrograda haud ita pridem intermittentem obſervavimus pulſum, qui per totum morbi decurſum duravit, reſtitutis vero doloribus pedum tandem hæc ceſſavit anomalia; mollis & intermittens aut lentum progreſſivum ſanguinis motum, aut delirium, è contra languidus & parvus, vaſa ſanguine repleta & cordis oppreſſionem notat, exinde vero debilitas producitur; In agonizantibus cor contrahitur, exinde parvus & languidus obſer-

obſervatur pulſus, ſic ut interdum credas non niſi trementem eſſe chordam. Multum vero tam in affectibus capitis, quam & in reliquis pulſum variare jam olim annotarunt Medici, & experientia propria quemvis de hac veritate quotidie poterit convincere.

De Methodo caute dijudicandi ſanguinem.

EX Phyſiologicis innoteſcit, ſanguinem conſtare ex partibus heterogeneis, terra ſubtili, pinguedine tempeperata & Phlegmate ſeu aquoſitate; uti igitur officium Medici maxime in ſano conſiſtit judicio, ita eo magis in inſpectione & examine ſanguinis tale deſideratur judicium, cum multis difficultatibus hæc doctrina prematur, equidem à ſanguine vita æque ac ſanitas dependet, adeoque quæſtio oritur, quisnam ſit optimus ad vitæ & ſanitatis conſervationem? Nondum autem Medici eundem determinare potuerunt? Alii enim tenuem, fluidum, & rubicundum; Alii illum, qui mox poſt v. ſ. in gelatinam; Alii eum, qui in coagulum majus concreſcit, cum ſupernatante pauca ſeroſitate, optimum declarant ſanguinem; Interim apprime monet Ill. Frid. Hoffmannus Path. Tom. III. ſanguinem ratione ætatis, ratione vitæ generis & victus, ratione regionum & anni temporum etiam in ſtatu ſanitatis magnopere variare, adeoque univerſali normæ penitus locum non eſſe; Immo idem proprias æque ac Balonii, nec non Cel Maur. Hoffmanni obſervationes in medium profert, quæ produnt, ſanguinem impurum ſæpe præ puro vitam promovere, è contra ſanguinem ad ſenſum optimum eſſe peſſimum, veritas autem

autem harum obſervationum & noſtra experientia non ſemel confirmata fuit. Sanguinem Venæ ſectione eductum opus habere inſpectione, ut eo melius intima ſanguinis conſtitutio pateat, eaque ipſa cognoſci queat, generaliter receptum eſt, nec ſine ratione; Interim id ipſum limitatione indiget, dantur enim caſus ubi depravata ſanguinis conſtitutio primo patet aſpectu, ſed ſolicitè quoque reliqua ſigna eodem obſervari debent tempore, hac annexa cautela: Nimium ne crede colori. Coccineum colorem ſanguinis orgasmum & elaterem indicare Medici ſtatuunt, idque non male; Dum vero tenuem volatilis ſalis quantitatem, dolores articulorum, hæmorrhagias & diatheſin ſcorbuticam indicare credunt, monendum eſſe cenſemus, hoc ipſum ſal ſemper ligatum, non poſſe tam facile ea producere mala, potius autem æſtum ſanguinis, raptum ad caput, & ad alias partes declarare, id quod quivis Medicus propria experientia deprehendere poterit; Sub ſanguine quoque ad flavum, vel ſubviridem vel nigrum colorem vergente, articulorum dolores & excretiones non raro obſervari, in confeſſo eſt. Sanguinem ſpumantem & levi cuticula diſcolore obductum, viſcerum inflammationem, ſpumoſum vero ſine tali cuticula inteſtinam fortiorem commotionem, ſpasmos, tenſiones dolorificas, anguſtias pectoris, aſthmata, tuſſes ſiccas prodere dicunt: Concedimus eo in caſu, ubi cauſa non ab extra, ſed ex intima ſanguinis depravata diſpoſitione provenit, datur vero ſpumeſcentia, quæ non à morbifica diſpoſitione ſanguinis derivari poteſt, ſed à cauſis mere naturalibus dependet, quippe proſilitionem ſanguinis in ſe craſi laudabiliſſima præditi, talem quotidie producere poſſe, conſtat: Igitur probe diſtinguendæ ſunt circumſtantiæ in ejusmodi

D casibus

caſibus ne falſum pro vero habeatur. Tenacitatem ſanguinis & diſpoſitionem ad grumeſcentiam inflamationes, reſolutiones nervorum, cacochymiam ſalinam, immo diram Luem veneream prænunciare multi ſtatuunt; Sed quis eſt, quem lateat? dari grumeſcentiam à laudabili exceſſu gelatinæ in ſanguine contentæ, ortam, caute igitur hic procedendum eſt. Sanguis compacta & glutinoſa gaudens ſuperficie in pleurithicis obſervatur, interim tuſſi humida laborantes, immo gravidas & chloroticas talem exhibere, experientia edocti ſumus: Dantur quoque ſubjecta cacochymia pituitoſa laborantia, quæ frequenter talem poſt V. S. exhibent ſanguinem. Sanguis fibroſus tunc demum dicitur, quando multa filamenta & velut carneæ fibræ comparent, organica fibra ex ſanguine generari nequit, adeoque improprie hoc dicitur, interim frequenter epilepſiæ, palpitationes cordis & aſthmata, polypi, tuſſes ſiccæ inde excitantur. Multi porro ſtatuunt, quod iſte ſanguis, qui ſeri defectum exhibet, inſimulque quoad conſiſtentiam craſſus, quoad colorem niger exiſtit, inflammationes, malum Hypochondriacum ejusque gradus, melancholiam, & cacochymiam ſalinam frigidam indicare queat, dantur vero caſus, ubi nigricantes grumi nec inflammationes, nec melancholiam prædixerunt, accurata enim hic accedere debet obſervatio: Coccineus color, qui totam ſanguinis ſubſtantiam occupat, abundè teſtatur de æſtu, optimus igitur ille, qui medio ſeſe habet modo, uti jam dictum. Quid vero ſentiendum de ea ſanguinis conſtitutione, ubi exceſſus ſeroſæ portionis comparet? Plurimi enim deſtillationes ad fauces, tuſſes, catarrhos, tenſiones dolorificas, ſanguinis fluxus, & plura alia exinde prædicunt, ſed abundè conſtat ex obſervationibus non ſemel catarrhales

affectus,

affectus, defiuxiones, fluxus ſanguinis & ejusmodi mala, ab aliis quoque cauſis oriri, adeoque nec hoc conſtanter indicare imminentia ejusmodi mala. Quid denique de experimentis cum ſanguine, ope ſalium inſtitutis, dicendum erit? Docet experientia, ſalia alcalia volatilia æque ac fixa coccineum colorem & conſiſtentiam tenuem ſanguini conciliare, ècontra vero ſalia acida craſſiorem producere conſiſtentiam & floridum coccineum colorem ſanguinis in obſcurum nigrum tranſire: Aſt poteritne ex hiſce tuto natura ſalium erui? Equidem enixum ſal in cacochymia ſalina demonſtratur, plura vero vix invenientur, ii enim qui plura eruere poterunt, gratam publico rem facient; Non temere igitur & in hiſce judicium ferri debere, patet. Egregiè jam Ill. Frid. Hoffmannus Med. Syſt. Rat. Tom. III. monet, hominibus non paucis morbos quosdam v. gr. graves paſſiones chronicas, cachexiam, Hydropem, hecticam, contagioſos morbos, peſtem, podagram, arthritidem, ſcabiem retropulſam, malum Hypochondriacum & Hyſtericum, citra vitium in ſanguine interitum afferre. In peſte igitur & morbis malignis, inprimis ubi ne veſtigium fere pravæ diſpoſitionis in ſanguine comparet, ad deſtructum ſpirituum animalium elaterem potiſſimum reſpiciendum, & cauſam in miasmate tali, ſpiriruum elaterem deſtruente, quærendam eſſe, ſufficientibus rationibus adducti, reputamus.

TANTUM!